OAD
ASTR
ETE

24,877/3
C 65
N v
17/8

J J B—

15

69984

JOHANNIS GOAD Angli ASTRO-METEOROLOGIA SANA:

SIVE

Principia Phyſico-Mathematica,

QUIBUS

Mutationum Aeris, *Cometarum*,

Morborum Epidemicorum, *Terræ-Motuum*,

ALIORUMQUE

Inſigniorum Naturæ Effectuum Ratio reddi poſſit.

Opus multorum Annorum Experientiâ comprobatum.

Εἰ δὲ δοκέοι τις ταῦτα μετεωρόλογα εἶναι, εἰ μεταστaίη τῆς γνώμης, μάθοι ἂν, ὅτι οὐκ ἐλάχιστον μέρος ξυμβάλλεται Ἀστρονομίη ἐς Ἰητρικὴν, ἀλλὰ πάνυ πλεῖστον. Hippocr. de Aëribus, Aquis, &c. Sect. 2.

Περὶ τῶν μετεώρων ἢ τῶν ὑπὸ γῆν εἰ λέγοι τις, καὶ γινώσκοι ὡς ἔχει, οὔτ᾽ ἂν αὐτῷ τῷ λέγοντι, οὔτε τοῖς ἀκούουσι δῆλα ἂν εἴη, εἴτε ἀληθέα ἐστὶν, εἴτε μή. οὐ γάρ ἐστι πρὸς ὅ, τι χρὴ ἐπανενέγκαντα εἰδέναι τὸ σαφές. Hippocr. de Vet. Med. Sect. 3.

LONDINI:
Proſtant venales apud SAMUELEM TIDMARSH, juxta Burſam Regalem, in vico vulgò dicto *Cornhill.* 1690.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

Habes hic, Benevole Lector, Artem Aſtro-Meteorologicam; quantum per ejus obſcuritatem, otium, valetudinem, variáſque rerum anguſtias, & difficultates licuit, abſolutam & perfectam: quam Latino Sermone tandem integram exhibemus; ut ad Exterorum judicia provocarem, & Publicis Utilitatibus, quantum in me fuerit, ſervire poſſem. Non enim Agyrtarum circumforaneas merces vobis obtrudimus; aut cruda ſtudia hic in Forum propelluntur; ſed diu meditata, quæque Ætatem longam tulerunt; utpote à Chaldæorum, Ægyptiorúmque *Heroicis ducta Temporibus. Nec eſt ideò quod putes nos Artem diu damnatam ab Inferis revocâſſe: quin exiſtimes potius, jucundiſſimam, utiliſſimámque Cæleſtis Philoſophiæ partem, hic ab interitu vindicari; & è tenebris in lucem extrahi. Juvat enim in re tanti momenti paulò magnificentius eloqui; ut è torpore excitentur Homines, ad altiora iſta Dei Opera contemplanda, admirandáque; utque Aſtrorum Scientia, quæ* Gentilium *Idololatriæ olim eſt famulata, ab injuſtis iſtis poſſeſſoribus erepta, in noſtros uſus vindicetur. Non ignoro quàm lubrico in loco verſer: quámque arduum ſit deſertarum, relictarúmque rerum patrocinium ſuſcipere, immò quàm periculoſum (ut pruden-*

ter notavit Campanella, *Vir cætera audacis, & portentoſi ingenii) Futurorum notitiam, quoquo pacto acquirere; dum Animum ſuperbiâ efferat, quaſi Divinitatis participem; propellátque ut Divinatorias Scientias, quamvis nugaces, nimis appetamus; nimiſque in perniciem noſtram illis fidamus;* quod de ſe, *pro more ſuo, libere faſſus eſt* [a] Cardanus. *Immò quem non ab iſtiuſmodi ſtudiis deterreret deplorandum* Campanellæ *Fatum; qui dum Peſtis, Eluvionum, reliquorúmque malorum, quæ illâ ætate graſſabantur, latentes cauſas inquireret, & in Publicum non ſatis cautè diſpaleſceret; per viginti ſex annos Carcerum hoſpes factus, præcipitis Ingenii pœnas graviſſimas luit; donec per* Urbanum Octavum *liberatus, nactus eſt Patronum ſe dignum, &* Naudæo *laudatore? Adeò infælix eſt Eruditio (inquit* Gaulminus *citante* [b] Naudæo) *ſcire quod multi neſciunt; periculoſa etiam, intelligere quod omnes ignorant! Sed hiſce, aliiſque hujuſmodi difficultatibus non obſtantibus; vicit omnia, Summi Numinis gloriam illuſtrandi, Publicúmque juvandi ſpes; quos fines ſi attigero, imbecillium animorum Superſtitioſis Hariolationibus non deterrebor; & otioſorum ſeveritatem minus moleſtè feram. Si enim res, iſto, quem hic exhibemus, modo fiant; vincat Veritas; nec ſub Pietatis prætextu, falſis Hypotheſibus, Divinam Providentiam à calumniis liberare conentur* Stulti Dei Adulatores, (*ut animosè, & præfervidè, pro more ſuo, dixit* Sanctus Hieronymus) *quæ nunquam clarius elucèſcit, quàm cùm propriâ luce, ſuóque fulgore emicet: ficta enim, licet Pietatis ſpeciem ementientia, detractâ larvâ riſus excitant; ipſámque Veritatem, defendendo produnt, & in diſcrimen adducunt. Sin autem, & noſtra quoque Hypotheſis, Viris Eruditis, & in hac re exercitatis, minus probabitur; ſpero tamen, ingenuos homines faſſuros, nos auſis non ineptis excidiſſe; & ob benè merendi ſtudium, Veniam ſaltem promeruiſſe: cùm judice* [c] Ariſtotele, *ſummo rerum æſtimatore;* Non ſolùm illis agendæ ſint gratiæ, quorum opinionibus quis acquieſcit; ſed iis etiam, qui

[a] *De Vitâ Propr.* cap. 39.

[b] Vid. *Panegyr. Naudæi dict.* Urbano *VIII.*

[c] *Metaphyſ.* 2. 1.

qui ſuperficie tenus dixerunt ; nam & iſti aliquid conferunt: *aliorum ſcilicet ingenia excitando, & exercendo, & felicioribus poſterorum inventis, occaſionem præbendo. Ne tamen Lector penitus animum deſpondeat ; auſim affirmare, nullos hic* Aphoriſmos *indubitanter, & abſque cunctatione in medium proferri, quorum Veritatem ipſe non expertus fuerim ; idque diligentiſſimis, accuratiſſimiſque multorum annorum Obſervationibus : neque enim* Chymicus *foco aſſidens, diligentius, avidiúſve unquam excubuit notandis, obſervandiſque variis Ignis gradibus, & Arcani* χρυσοποιητικοῦ *diverſis coloribus, mutationibúſque, quibus aureos ſibi montes pollicetur ; quàm ipſe in Naturæ Cœleſtis varietatibus, Aëriſque viciſſitudinibus perſcrutandis vigilaverim ;* Animi, *ut ille ait,* non rerum pretiis : *quæ, Deo dante, ſemper contempſi, præ Veritatis cognitione.*

Cæterum aut me amor peracti negotii fallit, aut Ars iſta ſuas habet utilitates non contemnendas ; tantùm abeſt ut ipſe inter χαλαζοφύλακας, *ſpeculatores illos futuræ grandinis, quos ridet* [a] Seneca, *meritò ſim annumerandus. Nam Cœleſtium contemplatio, Animum non minus quàm oculos erigit, lætóque ſpectaculo paſcit ; dum eorum Numerum, Magnitudinem, Diſtantiam, Ordinem, Lucem, Calorem, Motum, Harmonicáſque Motuum Leges, attentè intueatur : in quibus Mundi Perfectio, & Pulchritudo conſiſtit ; & ille dulcis ſonus, non qui auribus, ſed mente & intelligentiâ percipiatur ; quique Animum cognato concentu afficiat. Tùnc enim incredibili gaudio perfunditur, ſuæ originis ſit memor ; & contemnit hoc Terræ punctum, de quo tantopere litigamus ;* Hos ridiculos mortalium Terminos, & Formicarum diſcurſus in anguſto laborantium. *Nec hic ſubſiſtit Mens ſoluta ; ſed oculis non contenta, altior fit & animoſior, & per Naturæ gradus, ratione duce, ad Deum conſcendit ; cujus hoc Templum eſt omne quod conſpicis. Ex magnitudine ejus, Dei Omnipotentiam ; ex ordine, Sapientiam ; ex uſu, Bonitatem & Miſericordiam colligit : & Effectus Stellarum ſtupendos admiratur ; ſed ita ut non Inſtrumenta, ſed Divinum Artificem colat, cujus virtute cuncta agunt, & moderantur.* A Su-

[a] Nat. Quæſt. 4. 6.

A Supremâ enim Mente; Mente profectò, omnia creante, prævidente, & præordinante ad certos & præmeditatos fines, fiunt Naturæ Opera; non à Materiâ inerti, caſu aut neceſſariò motâ; quæ & per ſe inſenſilis eſt: nec niſi à Motore ſapienti, prudentíque gubernante & moderante, res tàm pulchras, tàm ordinatas condere; fines tàm aptos, aſſequi potuerit. Tu igitur, Pie Aſtrophile, *dum Mechanicas Mundi leges meditaris; & admiraris, ſuſpiciſque, ut par eſt, prodigioſa* Kepleri, Newtonique *inventa; & horrendos Calculi labores, quibus Aſtra in ordinem cogunt; & è Simpliciſſimis Gravitatis, & Magnetiſmi Principiis, omnia Naturæ Phænomena, aptè, & ſibiipſis conſtanter ſatis deducunt: ne hic ſubſiſtas, ſed Æternum etiam Geometram mirare; quæras unde iſte motus; à quo impreſſus materiæ per ſe inerti: quæ Sapientia præſedit Motuum inſtitutioni; quis proportionem adeò conſtantem poſuit, inter Vim Motricem, & Materiæ contumaciam: nè ut ſalsè & acutè olim dixit* [a] Ariſtoteles: Ligneam tantùm manum, non Fabrum mireris. *Non minus enim exſpectari poſſit Ædificium affabrè factum, & inſtructum, à ſecuris, aut dolabri arte, & conſilio; quàm ab Aſtris, admirandi quos hic cernimus Effectus. Aguntur enim potius quàm agunt; leges ſibi non ponunt, ſed poſitas obſervant; & ex certo, & præſcripto ordine moventur; non liberè, & more rerum Intelligentiâ, & Voluntate præditarum. Jam enim ſatis, Tuborum ope, Corpora Cœleſtia perſcrutata eſt Hominum Induſtria; & eorum quæ pro Diis ſtultè Venerata eſt Antiquitas, Adyta omnia & Sacraria ſunt patefacta: nec aliud quid vel in ipſius* Solis *receſſu, (quem pro Deo ſummo habuerunt) eſt deprehenſum; niſi Ignea Moles, Flammarum vorticibus fluctuans, maculis obtecta, & Corruptioni obnoxia; quæ* Cœli *non multò magis mereatur; quàm ridiculum illud* [b] Dei Simii *ſimulacrum, quod perruptis Templorum Clauſtris, inter alia Deorum Myſteria riſui expoſita, in Gentilium ludibrium ſervavit olim* Theophilus Alexandrinus; Ne quandóque inficiarentur, hujuſmodi ſe Deos coluiſſe.

[a] De Partib. Animal. I. I. ὥσπερ ἂν εἰ τέκτων λέγοι περὶ χειρὸς ξυλίνης.

[b] Socrat. hiſt. Eccleſ. 5. 16.

Nè

Nè ergò teipſum, O Homo, Aſtris ſubjicias; qui illa tuo Ingenio ſuppoſuiſti; oculis tuis admoviſti; quæque cum in tuos uſus potiſſimùm facta ſint; neceſſe eſt, ut tu ſis illis quid majus, & nobilius. Fateor quidem plura & majora illis mediantibus perfici, quàm Doctorum vulgus putat; & Caloris Cœleſtis Vim admirandam eſſe, non modò in Res Naturales, ſed ſenſu, & intellectu præditas; ipſúmque Animum ad certos Radiorum conjectus, Humorum & Spirituum ope, violenter concuti; & inexpectato ſtimulo incitari: Unde, Bilioſis præſertim, & Melancholicis, grave imminet periculum; nè Mens affectionum moderatrix, ictui ſuccumbat. Et animus quidem (quem in ſe *liberum eſſe, ad Vitia ſaltem declinanda, nemo ſanus negaverit; & ipſe, ſuorum Motuum conſcius, ſatis experitur)* pondere externo *preſſus, contra nititur; & Vi quaſi Elaſticâ onus excutere conatur: & feliciter ſatis res cedit; modò rectæ rationis Principiis mens recens fuerit imbuta, & diu aſſuefacta; Deúmque Aſtrorum Dominum, piè & humiliter colat. Faſſus enim eſt* [a] Ptolemæus, *& peritiſſimi Aſtrologorum largiuntur, bonos & prudentes Viros poſſe Aſtrorum influxus avertere, & evitare:* Et Stellarum quidem eſſe quod patimur, & quod nos incentivis quibuſdam ſtimulat ignibus: divinitatis verò eſſe Animi, quod repugnamus; *ut ex Aſtrologorum Veterum placitis olim dixit* [b] Firmicus: *nec quiſpiam eſt paulò doctior & melior; qui non lubenter cum* Campanellâ *fatebitur:* quòd ſapiens utitur Aſtris, ut *Albertus:* ſenſualis ſervit Aſtris, ut *Nero:* Sanctus dominatur, ut *Joſue. Influxus enim Aſtrorum, ut egregiè docuit* [c] Ptolemæus; *ſunt tantùm* συναίτια, *ſive Cauſæ Partiales; quæ Seminis, & Climatum concurſum requirunt; quæque diſciplinâ, atque educatione, &* [d] *fortioris cauſæ reſiſtentis Vi, vinci & averti poſſint:* cum non [e] ſua potentia, aut naturæ neceſſitate nos ſuperent: ſed noſtrâ contrariarum Cauſarum Ignorantiâ: *cùm omnibus malis ſua remedia poſuerit Miſericors Deus.*

[a] Tetrab. l. 3. Centiloq. Aphor. 5. δύναται ὁ ἐπιστήμων ἀποτρέψασθαι τὰς ἐνεργείας τῶν ἀστέρων. & Aph. 8.

[b] l. 3.

[c] Tetrab. l. 2, 3.

[d] ἀντιπαλικὸν αἴτιον, ἢ ἀντιπάθεια. Ptolem. Tetrab. l. 3.

[e] *Ptolem.* l. 3. ἀποβαίνει δὲ οὐ διὰ τὴν ἰσχὺν τῆς αἰτίας, οὐδὲ κατ' ἀνάγκην, ἀλλ' ὅτι ἀγνοεῖται ἡ ἀντιπάθεια, ὑφ' ἧς ἀναβαπίσεται.

Qui

Qui ergò Dei præceptis obtemperant, & rationis ductu, dant illi, quantum in ipſis eſt:

> Compoſitum jus fáſque animi; ſanctóſque receſſus
> Mentis, & incoctum generoſo Pectus honeſto:

illi fortiter reſiſtunt malis impulſibus; quòd primæ,[a] *potentiſſimæque Cauſæ auxiliis utantur, cui repugnari, obſiſtique non poſſit: qui autem affectibus ſe abripi patiuntur, prono flumine feruntur: illóſque in perniciem ſuam urget Fatum. Decet ergò prudentes, præcipuè qui rerum gubernaculis admoventur, pro ſapientiſſimo* [b] Verulamii *monito,* Majorum *præcipuè* Revolutionum, *non omninò ignaros eſſe: nam tunc communibus ſtimulis homines acti, communibus incumbunt ſtudiis, (quod olim miratus eſt* Velleius Paterculus) *magnæ fiunt rerum mutationes, turbationéſque; graſſantur Mala Publica, exoriuntur homines novarum rerum avidi, & ſacro* κορυβαντισμῷ *agitur profanum vulgus. Immò certè magna tunc diligénſque Cautio eſt adhibenda; nè Viri etiam Boni, ſed minus Prudentes in præceps ferantur: nam communi Fato urgente difficile eſt contra Torrentem conari. In iis quæ ad Virtutem & Vitium ſpectant, Dei munere, liber eſt animus, & ſui potens; cujus* [c] *Motus voluntarii non à Cauſis Externis dependent, ſed à propriâ ejus naturâ: quâ Vim habet ſeipſam determinandi juxta rectæ Rationis regulas, quæ eſt maximè propria Libertas. Nec tanti certè ſunt Philoſophorum laquei, aut* Scholæ Dominicanæ *argutiæ, quas tantâ cum Pompâ,* Hobbeſius *nuper in Scenam produxit, non ſine aliquo novi acuminis ornatu, ut iis Mens de ſuo Imperio deturbetur: quæ experitur, & ſentit in ſe Libertatem, nullis Argumentorum machinis ex Hominum animis excutiendam: & propriæ* συναισθήσεως *ſenſu & experientiâ, cognoſcit nodos quos nectunt maleferiati homines, in ſe non inex-*

[a] Ptolem. ibid. ὅσων συμπτωμάτων τὸ πρῶτον αἴτιον ἰσχυρὸν ἐστι, καὶ ἀκαταμάχητον, κλ'.

[b] De Augment. Scient. lib. 3. ὅσα συμβαίνει τοῖς ἀνθρώποις, διὰ καθολικωτέρας τινὰς αἰτίας. Ptolem. ibid.

[c] *Cicero, de Fato.*

inexplicabiles eſſe ; licet ob cæcos & latentes nodos, ſæpe illos melius rumpat, quàm ſolvat. Verentur autem Zenones iſti ; *niſi voluntas moveatur à Cauſis externis, & antecedentibus, iiſque Phyſicis & neceſſariò moventibus, nè Homo Deus eſſet, Cauſa nimirum Prima & Independens Suarum actionum. Aſtutè ſatis : quaſi animus non Suaſu, & Efficacia Morali, ſed Motu Phyſico ageretur ; Deúſve in Concurſu cum Creaturis, per modum contactûs ſe illis applicaret ; aut Ens ſummè Perfectum, non poſſit abſque Divinitatis ſuæ diſpendio, Vim Creaturæ largiri, ſeipſam movendi determinandique, cooperante tantùm ad actum, voluntate ejus generali ; quâ omnia ſuſtentat, & vult ut agant, & moveantur. Quod qui negant ; næ illi magnificè de ſuo Ingenio ſentiunt ; & contemptim ſatis de Dei Perfectionibus. In Actione quidem producendâ agit Deus ; ſed agit quoque & Homo, cui partes etiam ſuas permiſit : dat Deus quod bonum eſt ; Homo non rectè applicando, Bono malè utitur. Modum autem quærere quo Divina Mens, cum Humanâ cooperetur moroſi nimis eſt & arrogantis Ingenii ; nec, ut prudenter alicubi monet* Galenus, *Divinæ Potentiæ, ſuæque Imbecillitatis ſatis conſcii. Mentem Æternam intereſſe, & providere Rebus Humanis, fatentur omnes, qui Deum non tollunt : unde neceſſe eſt ut oriatur quædam Neceſſitas ; ſed libertati non prorſus repugnans, quæque cum illâ benè conveniat, & in unâ, atque eadem actione moretur, & conſiſtat ; cùm Providentiæ, & Juſtitiæ ratio exigat, ut Hominem, cui deliberandi, eligendique Facultates tribuiſſet (aliquod nimirum ſuæ Imaginis veſtigium) ad finem ducat per Media ejus Naturæ conſentanea. Volvuntur Res Terreſtres, motibus ſuis naturis propriis ; quæ liberæ ſunt, liberè ; quæ neceſſariæ, ex naturæ neceſſitate ; ſed utráſque regit, & movet Deus, ad Fines prævіſos & præſtitutos : unde motus exurgit communis & mixtus, qualis eſt liberè & neceſſariò ſimul moventium in Navi per altum vectâ ; qui nec Particulares cujuſque rei motus impedit ; nec certò comprehendi poſſit, niſi ab illo qui ex alto ſpectans,*

Deſpicere unde queas alios, paſſimque videre
Errare, atque viam palantes quærere vitæ;

Tàm Dei, quàm Totius Mundi res omnes, rationeſque probè cognitas, & perſpectas habuerit; quod nemo mortalium mentis compos, ſibi arrogaverit. Effectus Naturales, quos ab Aſtris dependere probavimus; cùm prædici poſſint, à certo ordine, & lege quam Deus illis præſcripſit, utplurimùm *proficiſci putamus; neque enim exiſtimandum eſt cùm viris Piis, iſtiuſmodi Effectus* ſemper *immediatè à Causâ Prima procreari; ſed à nexu & congerie Cauſarum ſecundarum à Dei Providentiâ dependentium; quod Fatum appellamus: in cujus ordine atque ſerie, Divina ſapientia quammaximè elucet; quæ ab omni Æternitate, cunctas rerum vires, omnéſque Effectus qui à liberè agentibus produci poſſint, uno intuitu complexa; omnia diſpoſuit ad fines ſuis conſiliis congruos, & præordinatos: licet enim nos Veritatem non aſſequamur, niſi* ſucceſſivâ & laborioſâ imaginandi curâ; *at Æterna Mens*, omnia ſimul perſpecta habet, abſque catenâ conſequentiarum, abſque tædio demonſtrationum: *ut magnificè dixit, Pius* [a] *Geometra. Aſtra certè, Divinæ Militiæ ordinatas acies; quibus, ut optimè notavit* Grotius, Judicia ſua exequitur Deus; *in Primâ Rerum Creatione, adeo mirifice diſpoſuit Mens Summa; ut nunc Fulmine, Tempeſtate, aut Morbo cælitus immiſſo Hoſtes ſuos profliget; nunc ſibi charis, dilectiſque proſperum det iter; efficiatque,*

[a] Dr. *Barrow.*

Ut conjurati veniant ad Claſſica Venti,

Eo ipſo momento, quo non optatius, aut melius ſapientiúſve fieri potuerit: quod quidem nonnunquam *apertiſſimè eventurum decrevit, ut Divina Providentia vel ab invitis agnoſceretur;* rariùs *autem, nè frequentiâ vileſceret. Minimè quidem dubitamus,*

dubitamus, quin Divina Mens, quæ ex certo agit propoſito; omnium Effectuum, quos hic communi rerum ordine fieri cernimus, Fines habeat rationis & æquitatis pleniſſimos; quorum nonnullos; Fælices illæ Animæ, qui laudabili operâ Fines [b] *rerum, perſcrutantur, feliciter ſatis aſſequuti ſunt: cùm interim lateant alii, nunquam forſan è Veritatis* Fonte *eruendi: quòd Deus, qui partem aliquam ſui, ſuorumque Operum nobis patefecerit; partem quoque, ſapienter ſubduxerit: ad excitandam induſtriam, arrogantiam reprimendam, fidem exercendam; & ut Sapientia ejus clarius tandem eluceſceret, cùm in ultimo rerum exitu, omnibus ſimul Creaturis ſpectanda exhibeatur; &* ἀληθέστερον *hoc* Ποίημα (*ut* Plotinus *dixit*) Cataſtrophen *ſuam ſortiatur. Nec tu putes, ex continuatione hac Ordinis ſempiterni, eáque* plerúmque *immutabili; fore ut omnis Prudentia, omnes conatus ſint irriti, omniſque ad Deum Oratio inanis & ludicra: cùm non hac ſpe ſemper ſit orandum, ut flectatur Numen; ſed aliquando etiam ut Mens piis deſideriis & cogitationibus agitetur, & ſacro fervore incaleſcat.*

At nè tu metuas; nam ordinem quidem præſcripſit; ſed immutandi jus ſibi non præripuit: quod aliquando exercet; quoties vult, poſſit; nec tu certò ſcias, quoties velit. Mundi Machinam providentiſſimè primùm ordinavit Deus; nec eſt putandum, nè Sapientiæ ejus derogemus, ordinem præſcriptum ſæpè immutari; fieri antem poſſe, non eſt dubitandum, ne Perfectæ Mentis potentiæ detrahamus; quæ multis modis, nobis incognitis, motus rebus imprimit, qui ſenſibus percipi non poſſint. Sed demus, Aſtrorum legem dari ex Divino præſcripto immutabilem, Effectúſque aliquos (quod negari non poſſit) exinde neceſſariò oriri: nè tamen deſperes; nec conatus, preceſque fruſtrà adhiberi putes; nam qui ſe ad Deum erigit, *ut optimè dixit* Campanella, ſuprà Fatum evehitur, fatalibuſque ſe ſubtrahit Eventibus; *quos diligentia, fortitudine, ſcientia, declinare, & effugere; & remediis avertere poſſit; quibúſque Dei Miſericordiâ,* [c] *mille modis obſiſti poſſit; Angelorum nimirum*

[b] *Boyle* de Cauſis Finalibus, H. *Morus*.

[c] Vid. *Boyle* de Naturæ notione hactenus receptâ.

mirum miniſterio, Motibúſve immediatè Corpori, aut Animæ impreſſis. Neque enim Veteres Aſtrologi (ut hoc Hominum genus domeſticis teſtibus premam) omnia Cæleſtium Fatorum Arcanis ita alligabant, ut Preces ineptas eſſe putarent: nam Ægyptii, *probante* [a] Ptolomeo, *non exiſtimabant Decreta Stellarum eſſe ἀκίνητα, ϗ ἀμετάτρεπτα; ſed* [b] Supplicationes *inſtituebant, ad eorum mala averruncanda: &* [c] Firmicus, *ſuos hortatur; ut* Invocent ſuppliciter Deos, & religiosè numinibus vota reddant; ut confirmati Animi Divinitate, ex aliquâ parte Stellarum violentis Decretorum poteſtatibus reſiſtant. *Fateor quidem, ut idem ille ait,* Vim poteſtatémque Fatorum nullâ poſſe ratione contemni; *nec remedia adhibita omnibus profuiſſe, ſeu ſua culpâ, ſeu divinâ voluntate hoc factum fuerit; immò, ut ille* [d] *canit,*

——Multis ipſum
Metuiſſe nocet; multi ad Fatum
Venêre ſuum, dum Fata timent.

Nè tu tamen vel in ultimo rerum diſcrimine poſitus, timidè cedas, aut penitus deſperes; ſed Ratione Duce, pares teipſum ad illa fortiter toleranda, quæ evitare non poſſis: Deóque Summo, cujus gubernaculo moles iſta dirigitur, *pio* [e] Cleanthis *propoſito, te totum commenda, qui hoc Carmine altæ mentis pleno, Deo ſe tradidit:*

Duc me Parens, celſique Dominator Poli,
Quocunque placuit, nulla parendi mora eſt.
Aſſum impiger. fac nolle. comitabor gemens:
Maluſque patiar, quod pati licuit bono.

quos verſus à Senecâ *diſertiſſimè redditos, ideo laudo: ut intelligant Homines, qui ſub Fati prætextu Dei cultum negligunt, etiam præſtantiſſimos* Stoicæ Familiæ Philoſophos, *aliter fuiſſe animatos.* *Sed*

[a] Tetrab. I. 3. ſub. fin.
[b] ἐξιλασμούς. Ptol. ibid.
[c] I. 3.
[d] *Seneca* Oedip.
[e] *Epiſt.* 107. *Epictet. Enchir.* cap. 77. & *Stephani Poëſ. Philoſ.* pag. 49.

Sed Ars iſta non tantum ad Primam Cauſam, omnium Effectricem nos ducit, ſed ad Fines rerum elucidandos quamplurimum confert: quod Veræ Philoſophiæ laus non minima. Exiſtimat Vir [a] *Doctus, acris defenſor, non minus quàm Judex Philoſophiæ Carteſianæ: ideò* Carteſium monuiſſe Fines Rerum non eſſe inveſtigandos, ut præcaveret ſibi ab importunis ſciſcitationibus eorum, quibus proclive erat interrogare, in quem finem tot Soles creâſſet Deus, quibúſve lucerent. *Aſtutè factum; at non ſine magna injuriâ in* Pietatem, Virtutum omnium Fundamentum, *Judice* Cicerone; *quæ ex Finalium Cauſarum conſideratione magna capit incrementa. At ſi noſtra* Hypotheſis *ſit vera, tot Stellæ, non otioſæ lucent: ſed unaquæque earum ſuas habet partes in rebus Terreſtribus moderandis; quas a Cæleſtibus dependere voluit Deus, nè in Terras ſemper proni feramur, ſed vultu animóque ad ſuperna & ſublimia rapiamur: nam Fines Morales, Cauſis Phyſicis annectit Deus, ſæpius, quam vulgo putamus; & Cæleſtia Portenta ſignificant, ſi non efficiunt, Majores Sublunarium viciſſitudines: ſic* Cometa *rarò impunè viſus: & prudentiſſimus Eccleſiaſticorum Hiſtoricorum* [b] Socrates *ex frequenti Obſervatione deprehendit,* Terræ Motus Signa quædam eſſe Perturbationis Eccleſiarum: *quod non levi ratione innititur: concuſſâ enim Terrâ, animos ſimul hominum concuti non eſt mirandum: unde Sacri Scriptores,* Commotiones, *Terræ Motûs Iconiſmo deſignant.*

Sint autem, per me licet, Planetæ tot Mundi huic noſtro ſimiles: dummodo eorum quoque Virtutem in hæc Inferiora largiantur, qui hoc credunt; inhumanum enim eſſe puto quempiam è ſuavi ſomnio, importunâ nimis interpellatione excitare. Qui autem putant Creatoris ſapientiâ omnino indignum eſſe, tot Corpora vaſtæ molis, immo infinitæ, ut aiunt, pæne magnitudinis, in hujus Puncti uſus creare; næ illi aut ſuis Inſtrumentis, & ratiociniis nimis confidunt: aut ſunt Divinorum beneficiorum parciſſimi æſtimatores; & de ſuo modulo Divinam potentiam metientes; ut ſcitè dixit Nobiliſſimus [c] Philoſophus *res mole potius*

[a] *H. Mori Epiſtol. ad V. C.*

[b] *Hiſt.* 4. 11.

[c] *Boyle de Cauſis Finalibus.*

potius eſtimant, quam pretio: nec quid ſit Homo ſatis putant, aut Animæ, Prolis Cœleſtis, & Parenti ſuo chariſſimæ, dignitatis præ materiâ qualibet quantumvis infinitâ; non adeò ſunt memores. Ad res Medicas, Nauticáſque Artem hanc quamplurimum conferre ſupervaceneum eſſet dicere; & actum agere, poſt tot Hippocratis, Galenique monita; & frequentem Jatro-Mathematicorum Experientiam, in Criſibus (ut alia vulgò minus credita prætercam, de quibus in Opere ſatis diximus) Epilepticis, & Lunaticis; Nautarúmque quotidianas Obſervationes circa Novilunii, & Plenilunii vires. Rogatos autem Lectores velim, præcipuè Aſtrononomos Medicoſque, ut noſtra non contemnant ob quædam imperitè dicta in eorum arte; quâ non Inquilinus ſum, ſed Explorator; ſed potius ut benè dicta perpenderent, & ſiquid erratum fuerit benignè corrigerent, & emendarent; aut ſua edendo, aut nos humaniter monendo. Exorandi tandem ſunt Rei Nauticæ periti; ut in longo ſuo marino otio impenderent potius tempus, quàm fallerent; nec Arte ſuâ, ad privatorum quæſtum tantùm, ſed ad Bonum Publicum uterentur. Cui poſt Propagationem Religionis Chriſtianæ (quam utinam quis ad Magni Grotii exemplum, in eorum uſus verſibus Patrio Sermone includeret) melius conferre non poſſint; quàm Aëris mutationes diligenter annotando: ut tandem Ars iſta perfectior evaderet. Quòd ut majori cum voluptate fieret: regulæ ſequentes obſerventur.

(1.) Planetæ unoquóque Die diſponantur, ſecundùm Ordinem Signorum in quibus verſantur. Per Diem intelligimus νυχθήμερον: & Mens Regulæ eſt; ut Omnes Planetæ qui intrà unius νυχθημέρου ſpatium ſuprà Horizontem emergunt; diſponantur (in Chartâ, aut aliter pro lubito) unà cum Signis ſecundùm ordinem quo oriuntur, à media nocte incipiendo.

(2.) Oppoſiti Planetæ, unà cum eorum Signis, ad ſua Oppoſita ſunt reducendi. Oppoſita enim in hac Doctrinâ, pro eiſdem ſunt habenda; quia vires habent communes; eorúmque Radii ſint Partes unius continuæ lineæ.

Ex

Ex. Gratiâ; Auguſti primo die St. Vet. An. 1686. *Talis erat Cœli Facies, ſecundum noſtram Doctrinam;*

Aug. 1. ♉ 24 ☾. ♋ 8 ♀. ♌ 14 ♂. 18 ☉. ♍ 7 ☿. 27 ♄.
♏ 14 ♃.

Ubi vides Planetas diſponi ſecundum Ordinem Signorum; & Oppoſitum Scorpii Signum ad ſuum Oppoſitum reduci. Signorum enim numerum recenſendo, dicendum eſt Taurum *à* duobus *Planetis occupari.*

(3.) *Diſpicendum tunc eſt*; (1.) *Quot ſigna occupentur, & quæ; Hyemalia, an Æſtiva.* (2.) *Quo ordine; continuo, an interrupto; recto an obliquo.* (3.) *Loca Zodiaci occupata deligentiſſimè ſunt obſervanda; præſertim Tropici, Æquinoctia, & Loca Cœli Turbida, ſive Hyemantia.* (4.) *Fixarum vires diligenter admodum ſunt perpendendæ.* (5.) *Affectiones, & Aſpectus Planetarum ſunt conſiderandi; reliquáque omnia de quibus in ipſo opere fuſius egimus.*

Hiſce peractis, brevi videbis; Artem hanc non nugacem eſſe, aut ridiculam; nedum ſuperſtitioſam, aut meritò damnandam: ſed Dei Opera melius celebrabis, Majeſtatem & potentiam ejus miraberis; & Stellarum vel minutiſſimarum uſus & vires cognoſces: nam Tempeſtate exiſtente, videbis ſævitiem ejus creſcere, aut diminui; ad ortum, aut occaſum Fixarum: & quamlibet earum, ſuo modo, ad eam conferre.

Vale, Lector Benevole; & ſiquid ex hac Arte, voluptatis, aut utilitatis percipias; Deum Authorem agnoſce, time, & venerare: Cui, ego, gratias animitus ago, quòd voluntatem mihi dederit opus hoc agrediendi; vireſque ad illud perficiendum: ſuppliciter rogans, ut Ars iſta, in ejus gloriam cedat, & utilitates publicas; quibus, me, meáque omnia, qualia qualia demum ſint, devovi, & conſecravi.

ER-

ERRATA.

PAg. 13.l.8.*habent.* P.22.l.penult.*Tropicus enim.* P.24.l.8.*Aſtronomorum*;l.10.*peritiâ.* P.27.l.3.Cenſorino,Manilio,*aliiſque*,*Viſus*,*qui*---P.28.l.19.Perpendicula.---P.32. l.6. *ſub Complicato Aſpectu*; *&* *in Marg. ibid.lib.2. cap.1.Par.5.* P.32.l.14.*quæ*; l.17.*varietate.* P.36.l.3.ἐλάττων. P.37.l.19.*Socia.* P.41.l.1.*Quadrato.* P.42. l.antepenult. *Geminis.* P.43.l.1.*Trino.* P.45.l.1. *Sextili, Latitudine & Perigæo Lunæ.* P.47. Marg.l.11. ὥσπερ.P.65.l.20.obſervaſſe,*Vinum in Aë*;l.21.(*quo,eóque.* P.72.l.3. ſtotele (. P.88.l.3. *curſus*--& Επισημασίαις; l.ult.*Lucida.* P.93.l.6.*formidandum*; l.19.*efficaces.* P.98.l.21. *Junii*; l.ult Sole *Signum.* P.101.l.3.7.27.*Eclipticâ*; l.penult.*ſe invicem.* P.115.l.ult.*Effectuum.* P.130.l.7.*ſtigiæ.* Marg.l.7.*Naudæi.* P.133.l.ult.nunc *regulares*,nunc *irregulares*; & 134.l.29.*Internus Calor.* P.136.l.24.*quæri.* Marg.l.penult. *Stat.*3. P.153.l.13. *Sicci.* P.156.l.22.*Terrarum.* P.158.l.ult. 5.*Quia.* P.172.l.19.*continuis.*P.173. in Marg. *Alkindus*, *Gaphar*, P. 174. l.14. *non unquam.*

APHORISMI
Aſtro-Meteorologici.

I.

Subjectum Meteororum, ſive Medium in quo verſantur, [a] Ptolemæo τὸ περιέχον, *eſt Corpus liquidum à Terrâ ad Fixas uſque pertingens, ubique ejuſdem forſan rationis & naturæ, niſi quòd pars ejus ſublunaris quæ Terram ambiat, & Aër dicitur, ſit craſſior illo Æthere qui Cœleſtia circumdat Corpora.*

[a] Ptolem. Tetrab. 1, 2. & alibi paſſim.

PRopoſitionem hanc de quâ peritiores vix litigant Aſtronomi, probat & illuſtrat *Hevelius* Selenographiæ ſuæ, *cap.* 7. & Cometograph. *lib.* 7.

II.

Materia Meteororum, ſunt particulæ diverſorum generum hinc inde ex omnibus Globi Terraquei partibus elicitæ & evectæ: necnon Expirationes & Effluvia Corporum Cœleſtium, diverſi forſan generis & qualitatis pro diverſâ eorum naturâ.

LIcet Aqua ſit præcipuus Vaporum Fons, conſtat tamen & reliqua omnia corpora mundana Effluvia emittere, ſuáſque habere Atmoſphæras. Vide *Hevelii* Cometograph.

lib. 7. *Fromundum*, reliquóſque rei Meteorologicæ ſcriptores.

III.

Cauſa Efficiens Meteororum proxima & Inſtrumentalis ſunt Calor & Frigus.

HOC vel Senſus teſtantur, & inde nata communis diviſio Meteororum, Realium nimirum, in Calida & Frigida.

IV.

Cauſa Efficiens principalis & Remota ſunt Corpora Cœleſtia, *à quibus Materia Meteororum elicitur & elevatur, & varii Caloris & Frigoris gradus in Aëre producuntur.*

COrpora Cœleſtia quodammodo agere in hæc Inferiora, idque Lucis potiſſimùm & Caloris beneficio, fatetur tota Philoſophorum Schola, ſuffragante etiam Senſu & Experientiâ. Calor enim Cœleſtis, (qui ut à Luce diſtinguatur vix norunt Philoſophi) eſt Subſtantia efficaciſſima, maximè ſpirituoſa, & præcipua Motus, Vitæ, Senſúſque Cauſa. Hinc Τὸ Θερμὸν Hippocrati (περὶ ἀρχῶν ϗ σαρκῶν. *Sect.* 1.) eſt Rerum Fons & Parens, & quaſi quædam Mundi Anima, & Spiritus Univerſalis; quo intelligit *Calidum primævum, per ſingulas mundi partes diffuſum, cujus pars maxima in Primâ Rerum Diſtributione, in Æthera ſe recepit.* Videſis *Tachenium* de *Morbo principe*, & *Bartholinum* de *Luce Animalium.*

Quamquam autem mihi perſuaſiſſimum ſit, varia Meteororum genera Aëriſque viciſſitudines, *ſolâ* Caloris Frigoriſque Cœleſtis virtute produci: ut tamen omnis cavillandi anſa præcidatur, *Radiorum* vocabulo ſubinde utar; cùm *Tota* [a] *Vis* Aſtrorum, quæcunque demum ſiet, *ſimul per Radium effluat.* V. Calor

[a] Ptolem. δύναμις διάδοσις, ἀπόῤῥοια, &c.

V.

Calor Cœleſtis (*quod etiam probè notavit* Carteſius *Meteor. cap.* 6°.) Condenſat Atmoſphæram: *modò ſit debito aliquo Frigoris gradu attemperatus & commixtus. Vapores enim frequenter* nimio Calore *diſſipantur, & non niſi à remiſſiori aliquo gradu admixto evocantur & congregantur.*

Condenſationem autem iſtam, *Humorem* gignere, & ejus effectus, vel ſenſibus obvium eſt; videmus enim nubes condenſari appropinquante pluviâ.

VI.

Frigus Cœleſte Rarefacit Aërem, & ſerenitatem inducit, reliquóſque Frigidi Aëris effectus: quod, ut alia Argumenta hic omittam, è diligenti Thermoſcopii Obſervatione optimè colligitur, quod pluviâ Tempeſtate imminente aſſurgere ſoleat, ſerenâ autem deprimi.

Notandum autem eſt hujuſmodi Caloris & Frigoris gradus eſſe nonnunquam ſubtiliores, quàm ut à ſenſibus noſtris craſſioribus deprehendantur; & ab aliis Animalibus citiùs & certiùs dignoſci, quàm ab Hominibus. Unde tot Brutorum *Prognoſtica* apud *Aratum*, *Ciceronem*, *Virgilium*, *Plinium*, alioſque veteres Auctores; è quibus farraginem ſatis amplam congeſſit *Antonius Mizaldus* in ſuis Ephemeridibus Aëris perpetuis, & eruditiſſ. *Voſſius* de Idol. *lib.* 3. *cap.* 14, 15. Quæ omnia, ut & alia προγνωστικὰ ab Aquâ, Aëre, Igne, aliiſque inanimatis deducta, ſatis monſtrant Turbato à cœleſtibus Aëre, quo mediante [a] vis Cœleſtis defertur, Terreſtria quoque Turbari; idque potiſſimùm

[a] Ptolem. Tetrab. 1, 2. ὅτι μὲν ἐκ τῆς φύσεως, &c.

mùm mediantibus ſpirituoſis, humidiſque corporum particulis, quas à calore Cœleſti mirificè commoveri, non modò teſtantur ægrorum, infirmorúmque mente aut corpore triſtes querimoniæ ingruente plùvia, aut àlia Aëris viciſſitudine; ſed & Brutorum motus inuſitati, & *indecora laſcivia* (ut *Plinianâ* λεκτικῷ utar) quâ caloris moleſtias ſedare, dolorúmque aculeos quos ab humoribus exagitatis ſentiunt, lenire & excutere conantur.

VII.

Quam maximè autem notandum eſt, ſtatum Aëris diverſarum Regionum, immò & diverſorum ejuſdem Regionis locorum varium eſſe, & mirificè difformem; idque potiſſimùm evenire, ex diverſo Cœlorum & Sphæræ poſitu, loci ſitu, & ſoli ingenio. *Quæ omnia, unà cum reliquis uniuſcujuſque loci peculiaribus circumſtantiis diligenter ſunt notanda ad Prognôſin ritè inſtituendam.* Cùm enim (*ſecundùm nobiliſſimum illud, & in omni ſcientiarum genere utiliſſimum Axioma*) quicquid agit, agat ad modum recipientis; fit ſæpenumero ut earundem Cauſarum Cœleſtium diverſi ſint Effectus, ſæpe & nulli; propter defectum materiæ, & diverſitatem locorum in quæ agant.

DE affectionibus Telluris Cœleſtibus tractant Aſtronomi in Doctrina de Sphæra, *Voſſius* de Origine Fluminum; & omnium copioſiſſimè, & lucidi ordinis methodo exactiſſimè, *Bernhardus Varenius Geograph. General.* libro ſecundo, ad quem Lectorem hâc in re minùs exercitatum remitto.

Mihi interim, breviter pro inſtituto meo ſequentia *Corollaria* ſubjeciſſe ſufficiat, quæ in Operis progreſſu fient clariora.

(1.) Diverſas *Climatum affectiones* oriri non tantùm à motu Solis, ſed & reliquorum Planetarum, Fixarúmque Stellarum, quarum diverſa eſt facies pro diverſâ Poli elevatione. Vide *Ptolem. Tetrab. lib.* 2. & *lib.* 1. *cap.* 2.

(2.) Ex *Sphæræ Obliquitate* fieri, ut in locis iſti poſitioni ſubjectis *Prognôſis* ſit difficilior, propter varietatem ſtatûs Aëris ex diverſâ Poli elevatione ortam.

(3.) Loci ſitus reſpectu Montium, Vallium, Sylvarum, Maris, Fluminum, Locorúmque adjacentium, multùm confert ad varietatem Aëris. Quinetiam & Soli peculiaris natura & ingenium nullo modo eſt prætereundum, cum *non omnis Tellus omnia proferat*; & fruſtra prædixeris Meteora in locis quibus non apta iis ſuppetat materia.

Hinc fit, ut *Braſilia* nunquam Terræ motus fuerit experta, quia Metallis & Igne ſubterraneo deſtituatur; & ab *Epidemicis* Morbis,(teſtante *Piſone* in *Hiſtor. Natur. Braſil.*) ſit immunis, propter *Eurum* ab Oceano continuò ſpirantem. Loca etiam *Maritima* propter abundantiam Vaporum ſunt maximè Tempeſtatibus obnoxia; & nemoroſa à nudis, montoſa à planis, quoad Aëris conſtitutionem ſunt valdè diverſa. *Plana* enim & *Arenoſa* præcipuè, quia magis retinent & reflectunt Radios, ſunt multò calidiora locis Terreis, etiam ſub eodem Cœli poſitu; unde & præcipua cauſa intenſi adeo caloris in nonnullis locis ſub *Zonâ Torrida.* Hinc etiam efficitur cur Venti Marini ſæpè occupent plagas diverſas à Terreſtribus, & diverſas habeant qualitates pro varietate locorum à quibus ſpirent. Ecce quid *Cœlum*, quid *Terra*, & *Loca* poſſunt! Ut cum mirabundo *Keplero* loquar, cùm obſervâſſet *Glogoviæ* horrendùm tonuiſſe, quando vix unius diei itinere eſſent ſolæ atræ nubes.

Notandum igitur eſt, noſtras Regulas potiſſimùm ſpectare *Latitudinem* Civitatis *Londinenſis*; quæ tamen aptari poſſint ad loca quævis diſtantia, debito facto rerum diſcrimine. *Generales* autem *Conſtitutiones* Aëris, & *Tempeſtates*

graviores,

graviores, ſunt maximam partem eædem, ubivis locorum; prout *Diaria* Navigantium Itinerantiumque in diverſis mundi partibus, & Obſervationes *Kepleri*, cum *Tabellâ Anemologica Fromundi Lovanii* factâ, comparanti patebit.

VIII.

Sol eſt Caloris Cœleſtis Cauſa Efficiens Eminenter Principalis, *at non* Solitaria, *&* Totalis.

Calor enim non *uſquequaque* augetur pro incremento altitudinis Solis; ſed potiùs poſt ejus receſſum à *Solſtitio Æſtivo.* Mediam etiam Æſtatem Frigus nonnunquam ſubitò invadit; nec Solis motum undiquaque ſequuntur Menſium qualitates. *Martii* enim exitus eſt ſæpe calidior *Aprilis* ingreſſu, *Aprilis* nonnunquam *Maio* tepidior, *Januarius Decembri* frigidior, & mitem *Junii* temperiem ſæpiſſimè ſubſequuti ſunt intenſi *Julii* calores. Unde clariſſimè patet Menſium Solſtitium ſubſequentium calores à præcedentibus non uſquequaque augeri; nec Tempeſtatum qualitates à Solis acceſſu, aut receſſu *omninò* dependere.

Quinetiam ſi Sol eſſet Cauſa Totalis Caloris & Frigoris, & variarum mutationum Aëris; *quolibet quarto Anno*, Sole ad idem punctum redeunte, eædem quoque redirent Aëris, Meteororúmque viciſſitudines; quod experientiæ apertè repugnat, licet tale quidpiam olim *Eudoxus* promiſerit. *Plin.* 2. 48.

IX.

Licet reliqui omnes Planetæ, non minùs quam Luna, prout recentior Aſtronomia *ſatis monſtravit, lumine tantùm gaudeant à Sole reflexo; Experientia nihilominus ſatis teſtatur, eos tanquam* Cauſas Socias *unà cum Sole concurrere ad Calorem producendum; ſecundùm veriſſimum illud* Ptolemæi Axioma

Axioma, Tetrab. 1,2. Κατακρατεῖ μὲν ἡ τοῦ Ἡλίου δύναμις ὡς καθολικωτέρα· οἱ δὲ λοιποὶ συνεργοῦσιν, ἢ ἀποσυνεργοῦσιν κατά τι.

SOlis calorem à reliquis Planetis augeri ex eo ſatis patet, quod quò illi (in debitâ diſtantia) ſint viciniores, eò Conſtitutio Aëris fiat calidior.

Reflexionis autem vim calorificam apertè monſtrant Vitra Uſtoria.

X.

Quilibet Planeta, quod diverſi eorum Effectus ſatis arguunt, habet Vim & Efficaciam ſibi propriam & peculiarem; quæ videtur oriri ex diverſo eorum motu, magnitudine, diſtantiis & denſitate; necnon ex difformitate ſuperficiei uniuſcujuſque eorum, quâ calor Solaris diverſimodè reflecti & modificari poſſit; prout in diverſi generis Vitris [a] Uſtoriis *accidere ſoleat.*

[a] *Philoſoph. Tranſact. Societat. Regal. Anglic.* Vol. 1. Num. 4.

DE diverſâ uniuſcujuſque Planetæ virtute infrà tractabitur in capite de Aſpectibus: interim conſulat Lector Magiſtrum in Tetrab. 1. 4, 22. & *lib.* 2. 9.

X I.

Licet omnes Planetæ, cùm ſint Lucidi, *videantur etiam exinde eſſe magis aut minus* Calidi; Saturnus *tamen Veteribus eſt* Frigidæ *naturæ*; & *uſu frequenti compertum eſt*, Jovem *per ſe*, & ex ſua *natura* Humiditati reſiſtere, & adverſari, *quod remiſſioris ſaltem caloris non leve indicium eſt.*

ISta, methodi cauſâ hic ὡς ἐν τύπῳ propoſita, infrà multiplici experientia probabuntur.

XII.

Experientiâ & longo uſu deprehenſum eſt, Stellas *etiam* Fixas *admirandam habere Vim & Efficaciam in Effectibus Aſtro-Meteorologicis producendis. Exploratiſſimum enim eſt, tàm Tempeſtates jam exiſtentes augeri, quàm de novo cieri, ad ortum occaſúmve Fixarum quarundam violentiorum, & prout illas Sol, reliquíve Planetæ aſpexerint.*

Licet autem Fixarum virtus à Planetis excitetur, tanti tamen eſt momenti, ut Planetarum Aſpectus minimam habeant efficaciam ad Calorem *producendum, in locis* Fixarum Vacuis.

* *Nat. Hiſt.* 2. 39.

[a] *Carelli* Ephemer. pag. 20.

[b] *Offuſius* de Aſtror. Facult. cap. 2, 19.

SIdera *Cælo adhærentia, Errantium acceſſu impelli, aut conjectu Radiorum extimulari*, notavit olim * *Plinius.* Cui Fidem faciunt, [a] *Carellus* introductione in Ephemeridas ſuas, & longa experientia viri exercitatiſſimi, & ſubtiliſſimi *Johan. Offuſii* (à quo *Keplerum* multa ſumpſiſſe autumat *Morinus* in *Aſtrologia Gallica*) qui in libro de [b] *Divinâ Aſtrorum Facultate*, fatetur, *Stellas Fixas agere tanquam concauſas, dum per Planetas incitantur.*

[c] Ptolem. Tetrab. 1, 2.

Utcunque autem iſtud fuerit; Fixarum quidem viribus Teſtimonium perhibet omnium ſeculorum experientia; [c] Nautarum præſertim, Agricolarúmque παρατηρητικωτέρων, quorum maximè intererat Tempeſtates obſervâſſe. *Orientales* certè ab omni retrò memoria Stellarum Vim agnoviſſe teſtatur Scriptorum Antiquiſſimus *Job*; Vir magnæ Scientiæ, non minùs quàm Pietatis & Potentiæ, apud Veteres *Arabiæ* incolas. Immò, ut omittam quæ de *Sethi* columnis, *Abrahami* peritiâ Syderali, & de prorogatâ primorum *Patriarcharum* ætate, *Aſtronomiæ perdiſcendæ* cauſâ, tradit gravis Auctor *Joſephus*; vel *Sacri Judæorum* ſcriptores huic rei abunde Fidem faciunt, dum Stellas in *Dominium*

factas

factas aſſerunt, *Deique Militiam vocant*, *Ordinibúſque ſuis pugnâſſe narrant*; Fulgur nimirum, fulmina, ventóſque producendo, temporibus ſibi à Deo ordinatis. *Recentiores* autem *omnes Orientales* credere Ventos, Pluvias, & id genus alia, ab Influentiis Stellarum eſſe, locuples teſtis eſt Vir in eorum linguis, ſcriptiſque verſatiſſimus, Notis ſuis in [a] *Ulugh Beighi* Tabulas. [a] Pag. 71. Stellas Fixas, non minùs quam Planetas, *ob vires ſuas* in Deorum numerum relatas fuiſſe, probat eruditiſſimus [b] *Voſſius*: *Græcóſque* itidem & *Romanos* idem agnoviſſe, [b] Idol. lib. 2. etiam ſatis teſtantur tot eorum *Hemerologia* è Veterum *Parapegmatibus* deſumpta, quorum uſum ab *Ægyptiis* & *Chaldæis* ad *Græcos* perveniſſe affirmat doctiſſimus Mathematicus *Theon Alexandrinus* in [c] *Arati* Διοσημεῖα. [c] Ver. 20. Ut taceam *Poëtas* Græcos & Latinos, quos ſubinde ut Teſtes adducere non verebor; cùm ſua hac in re hauſerint ex *Annalibus* priſcis, & Veterum Ἐπισημασίαις, teſte *Ovidio* in *Faſtis*. Quorum librorum non tantùm Ingenium, ſed & Eruditionem priſcam & multam deprædicat, Cenſor acris licet, *Julius Scaliger*; unde eſt quod eos mutilos eſſe minùs moleſtè ferre poſſimus. Huic veritati quoque ſuffragatur tota penè gens *Aſtrologorum* poſt *Magiſtrum* ſuum in *Tetrabiblo*, conſentientibus *Iatro-Mathematicis*, & pleriſque *Aſtronomorum*, qui Scientiæ *Theoricæ Divinatricem* conjunxêre. Licet autem Aſtronomi benè multi, poſt *Gemînum*, Fixarum viribus fuerint paulò iniquiores, eas tamen non pauci magni nominis, cum [d] *Keplero* interdum agnoſcere coguntur. [d] In *Ephem.* 1628. ad menſ. *Jun.* & in Epit. Aſtron. pag. 11.

Nec eſt quod quiſpiam, à tantâ & tam antiquâ Experientia, ab ipſis *Jobi*, *Homeri*, & *Heſiodi* temporibus ad nos deductâ, à levibus argumentis ſe divelli patietur; qui diligentius conſideraverit Fixarum numerum, magnitudinem, Ordinem, ſtataſque Tempeſtatum viciſſitudines perpetuò redeuntes, quando Sol, reliquive Planetæ ad eas appulerint; quod in *Oppoſitionibus* præſertim, & *Conjunctionibus Solis* & *Mercurii* cum *Pleiadibus* ipſe ſæpè exper-

tus ſum, & quilibet propriâ operâ quàm facillimè experiri poſſit.

Quod ſi Fixæ *illuminationis* tantùm, non *influxûs* cauſâ fuerint in Cœlo locatæ; cur tanto numero conditæ fuêre, nec plures earum in unum Globum coactæ? cur diverſis intervallis ſint diſpoſitæ, cur ordine tàm apto, tàm congruo, intra, extráque Solis Planetarúmque ſemitam? cur aliæ ſunt clariores, aliæ nebuloſæ, & viſum vel Tubo armatum fugientes? Cur hæ in Terræ vicinitate ponuntur, illæ autem procul in altum ætherem receſſerint? Iſta certè ratione non vacant, cum *Natura nihil fruſtrà faciat*, omniſque *Ordo* & *Varietas*, *Sapientiæ* & *Conſilio* debeatur. E ſedibus ſuis priſtinis, ſiquis Fixas migraſſe contenderit; dabimus certè; cùm earum vires unà cum eis migraſſe conſtet. *Pleiades* enim veteri ſuo loco dimotæ, etiam hodiè ſunt navigantibus periculoſiſſimæ. *Signa* quidem ſunt Tempeſtatum, at non *nuda*, (quod voluit *Gemînus*) ſed virtutis & efficaciæ pleniſſima, quæ Aëris mutationes perpetuò recurrentes, non indicant modò, ſed & efficiunt. *Quid tu? tot millia ſiderum judicas otioſa lucere?* inquit *Seneca* paulò animoſiùs. Putabimúſne tot Stellas, & tam immenſæ ut *Aſtronomi* volunt, magnitudinis, de die in Cœlis otioſas eſſe; & noctu tantùm Furibus & Scortatoribus morem gerere? Nec eſt quod quis earum calorem è tanta diſtantiâ (quæ tamen fatente etiam *Carteſio*, forſan non adeo infinita eſt, ac volunt *Copernicani*) credat deferri non poſſe, modò *Radii* huc pertingant; quibus tota effluit Aſtrorum Vis. Si enim Fixæ propriâ Luce ſint præditæ, Caloris etiam nativi non erunt omninò expertes; qui Lucis perpetuus aut comes aut partus eſt; licet tactui ſemper non appareat, qui cum ſit ſenſus viſu hebetior, à Calore non niſi intenſiori affici ſoleat.

Quod niſi Fixarum vires concedantur, quæ interim ratio æquè commoda ſequentium Problematum afferri poſſit?

(1.) Fer-

(1.) Fervoris intenſi *Zonæ Torridæ.* Creſcit quidem Calor pergentibus verſus *Climata Auſtralia*, non tantùm quòd propius ad *Solis verticitatem* accedatur; ſed quòd *plures Fixæ perpetuò eleventur*, donec ad *Zonam Torridam* perveniamus; ubi *earum ſingulæ ſuis vicibus viginti quatuor horarum ſpatio ſupra Horizontem emergunt. Sol enim cum Fixis eſt cauſa Totalis intenſi adeò caloris*; unde eſt quod menſe *Martii* non adeò formident Nautæ *Æquatorem* prætervehi ac *Septembri*, licet Sol tunc etiam ſit *Verticalis*; quòd pauciores Fixæ ſitæ ſint in *Ariete* quam *Librâ*: & hinc etiam eſt, quod *Caput Bonæ Spei* tantoperè appellere contendant Nautæ ante *Septembrem.*

(2.) *Stellæ Diſcurrentes*, reliquáque id genus Meteora, *Fixis* quoque ſuam originem debere videntur. Vix enim unquam, quod ſciam, apparent niſi juxta illas Cœli partes, ubi *Aſteriſmi validiores* ab aliquo Planetâ opponantur. Cùm igitur tale quid accidat, iſtas Cœli plagas diligentiùs intuere, brevi eventum expectans; nec te uſquequaque fallet Augurium. Immò & quod valdè notandum, *Stellæ Novæ* & *Cometæ* juxta *Inſigniores* & *Crebriores Aſteriſmos* ferè ſemper producuntur: quod evidenter monſtrant *Hiſtoriæ Stellarum Novarum*, & *Schemata Cometographica Nobiliſſimi Lubieniecii.* Unde & *illuſtrem* quendam *Cœli Tractum*, *Zodiacum Cometarum* appoſitè admodum vocat *Clariſſimus Caſſini.*

(3.) Nec à veritate forſan *uſquequaque* aberrabimus, ſi hinc quoque rationem aliquam ſaltem ducamus, cur nonnulla loca in quibuſdam præſertim menſibus ſint adeò Turbida, & pluviarum ventorúmque Tempeſtatibus obnoxia. Quòd *Sol* nimirum *unà cum Fixis crebrioribus violentioribúſque*, iſtorum locorum *Vertices* tunc pertranſeat, aut *Horizontem* obſideat. Et hinc, ni fallor, optimè ratio conſtabit, cur in *Novâ Hiſpaniâ* ſint *continuæ pluviæ* ab *Aprili*

ad *Junium* aut *Auguſtum*, & *Fretum Magellanicum* per totos *iſtos menſes* ſit adeò tumultuoſum; quod *Fixæ nimirum inſigniores Hemiſphærii noſtri Borealis unà cum Sole tunc occupent hujus loci Horizontem; illius autem Verticem.* Globum compone ad latitudinem iſtorum locorum, & mecum miraberis. Sed *Suſpiciones iſtas Coſmicas*, ut cum *Nobiliſſimo* noſtro *Philoſopho* loquar, peritioribus dijudicandas relinquamus.

XIII.

Planetæ viciſſitudines Caloris & Frigoris variis modis producunt.

(1.) PRimò & *præcipuè Rectitudine* aut *Obliquitate Radiorum Solis*, reliquorúmque *Planetarum* pro ratione & proportione Virium uniuſcujuſque. *Radii enim, ictuum adinſtar, quò rectiores, eò fortiores; quò decliviores, eò ſunt imbecilliores.*

(2.) *Morâ diuturniori* aut *breviori* ſuprà *Horizontem*; quâ Aſtrorum imbecillis, & obliqua Vis aliquommodò compenſari poſſit.

(3.) *Remotione* à Terrâ, aut *propinquitate* ad illam; quâ majorem, minorémve Vim obtinent. Per *remotionem enim Agentis à paſſivo, Vis minor fieri videtur, è contra per Approximationem*, inquit *Offuſius* de Divinâ Aſtrorum Facultate cap. 4. qui capitibus ſequentibus docet modum definiendi robur Radiorum pro acceſſu aut receſſu Planetæ ad Terram; de quâ re videndus etiam & *Morinus* in *Aſtrolog. Gallicâ*, lib. 13. 3.

(4.) Ex *Orientalitate* aut *Occidentalitate* Planetarum reſpectu Solis. Quando enim Planetæ ſunt ἑῷοι, & ſolem ſubſe-

ſubſequuntur, Matutinum Tempus eſt Frigidius; cum autem ſunt ἀνατολικοὶ, ſolémque præcedunt, tunc eſt Calidius: *Aëre nimirum à præcedentibus Planetis jam calefacto, & præparato ad majores ſolaris caloris gradus recipiendos.* Quo ſenſu Planetæ rectè à *Ptolemæo* [a] dicuntur θηλύνεσθαι καὶ ἀῤῥενοῦσθαι à poſitu ad ſolem.

[a] Tetrab. 1,.6.

(5.) Tarditas, Statio, & Retrogradatio Planetarum, *Calores augent, Vimque habet mirificam. Quòd* tunc ſint Terræ Viciniores, *aut etiam (ſi modò iſtæ Affectiones ſint reales) quòd diuturnior mora Agentis fortiùs virtutem ſuam imprimat.*

Noſtrâ autem non multùm intereſt, utrum realiter iſta fiant, an non; cum certiſſimum ſit *Reales* produci *Effectus*, cum iſtæ Affectiones appareant: in *omni enim penè Tempeſtate dirâ, Terræ motu, peſte, & ſublunarium commotione majori, aliqui Planetæ ſunt Retrogradi, aut Stationarii.* Perinde etiam eſt, quod ad *Hypotheſin* noſtram ſpectat, utrùm Sol moveatur an Terra; licet magnus [b] *Verulamius* in libro de *Augmentis Scientiarum* apertè aſſerat, *ſibi conſtare Terræ motum Diurnum eſſe falſiſſimum.* Satis audacter quidem pronuntiat *Ricciolus*, [c] *Hypotheſes Aſtronomorum eſſe Figmenta mera ex fœcunditate Ingenii orta*; quæ & *Deliria* vocantur à Philoſopho quodam, qui [d] *Hevelio* ob id vapulat. Et tamen, ſi Ingenio indulgere liceat; *quidni dicamus, in Retrogradationibus (quæ fiunt cum Planetæ Soli opponuntur, aut ſint* in *Elongatione ab eo*, quæ eſt *quaſi Oppoſitio) repelli Planetas vi Solis Magneticâ; non minus quam attrahi in Conjunctionibus, Directos?* Notiſſimum enim eſt, *unum Magnetis Polum attrahere, quod alter repellit. Planetas autem contactu Radiorum Solis regi*, non tantùm *Keplerus* aliique *Recentiores*, ſed & ipſa docuit [e] *Antiquitas.* Sed nihil temerè affirmo, cum Res adeò remotæ difficulter explicari poſſint;

[b] Lib. 3.

[c] Almag. Tom. 1. pag. 536.

[d] Selenog. pag. 158.

[e] Plin. Nat. Hiſt. 2.15.

ſint; nec *deceat Humana Divinis æquiparare, aut iſtiuſmodi rebus fidem petere ab Exemplis Diſſimilibus*; ut ſapienter monuit [a] *Ptolemæus.* Exiſtimavit *Stadius* [b] inſignis *Mathematicus, admirabiles viciſſitudines Stationum, & Regreſſuum, non injuriâ ſapientis Obſervatoris & oculos, & animum remorari debere*: & meritò quidem, ut enim *Motus Directus ordinarias* Tempeſtates Anni procreat; ſic Planetarum *Stationes & Recurſus* ad *Extraordinarias* Conſtitutiones Aëris divino conſilio videntur fuiſſe ordinati; ut in ſequentibus apparebit. *Quantò enim Tardiores ſunt Planetæ, tantò majores edunt Effectus.* Hinc enim *Superiorum* Planetarum Vis robur accipit; & *Inferiores* fiunt adeò violenti, cum *Superiorum* Tarditatem æmulantur. *Unde poſt diuturnum Frigus, ſpes aliqua remiſſionis affulget, cum unus aut alter Inferiorum, Tardius movere incipit*, aut *Retrocedere.* Sic Anno [c] 1563. vel Menſe *Decembris, horrendùm tonuit, fulgurabátque*, per duodecim dies continuos, cum Omnes Planetæ regreſſûs capaces, uno excepto, retrocederent & tardi eſſent.

[a] Μεγ. Συντ. 13. 2.

[b] Tab. Berg. pag. 75.

[c] *Stowæi* Annales.

(6) Planetæ in Signis *Hyemalibus*, ſunt debiliores quàm in *Æſtivis*: quòd tunc *eorum Radii ſint obliquiores.*

(7.) Planetæ circa *Tropicum Æſtivum* ſiti, ſunt validiſſimi, & Calorem inſigniter procreant; *quòd ſint verticales.*

Tropicæ etiam *Poſitionis* vim habent, non tantùm punctum Solſtitiale, ſed quæ ſunt *illi æquivalentia*; adeò ut Planetæ poſiti in *Latitudine* ſive *Exaltatione, Tropicæ æquivalenti*, multùm poſſint, *quòd ad vercitatem accedant.*

(8.) Planetæ circa *Tropicum Hyemalem* ſunt potentes; forſan quod opponantur *Stellis crebrioribus* in *Æſtivo Tropico*

pico ſitis, quarum Vis *Oppoſitione* irritatur; & *quòd in noſtrâ Latitudine Tropicus Hyemalis Horizonti appropinquet; Horizon enim Radios ſiſtit & reflectit.*

(9.) *Æquinoctii Vis ſanè eſt quàm maxima; an quod, uti* Ptolemæo & Peripateticis *placet*, *ſit* Circulorum maximorum Medius, & Concitatiſſimus? *vel potiùs quòd Sol, aut quivis Planeta, in iſto Circulo exiſtens, in Mundi medio poſitus, Totius Cœli viribus fruatur; Stellas omnes quaquaverſum collocatas* Uniformi Aſpectu *irritans, earúmque* Radiationes *viciſſim* æqualiter *recipiens?* [a] Ptolem. Tetrab. 1, 15.

Æquinoctiorum autem, Autumnale *eſt magis* turbidum & noxium; *forſan* propter crebriores Fixas circa Libram, quàm Arietem. *Æquinoctium enim* Autumnale utrinque Aſteriſmis illuſtrioribus *fulget*, *hinc* Leonis, *inde* Virginis; Vernum *autem*, Piſcis *quidem*, & Arietis *Signis*, *ſed* Stellis minus refertis, *ab utroque latere illuſtratur; unde Ver nunc eſt minus turbidum, quàm* Ptolemæi *ætate, ob regreſſum Aſteriſmi* Arietis *in conſequentia.*

Sed quæcunque demum harum rerum cauſa fuerit; ſatis & abundè conſtat, *Tropicorum Æquinoctialiſque* Circuli vim, quàm maximam eſſe, in Terræ motibus, Morbis Epidemicis, Peſte, Tempeſtatibus gravioribus, omniſque generis effectibus violentioribus producendis. Et ſi vel Veterum, Recentiorúmve Fidem requiras, nihil hoc Aphoriſmo teſtatius. Anni τροπὰς, & præſertim Autumnalem, morbidas eſſe, fatetur tota Medicorum Schola, conſentientibus Artis Magiſtris *Hippocrate* & *Galeno*. Sub *Æquinoctiis maximam* eſſe Aëris Turbationem, *Solſtitiáque validiſſimè Significàre clamant unâ voce*, Hemerologia *Gemini*, *Ptolomæi*, *Aetii*, *Columellæ*, & *Plinii*: è *Metonis*, *Eudoxi*, *Hipparchi*, *Julii Cæſaris*, *Soſigeniſque* Obſervationibus & Calendariis deſumpta.

[a] Ptolem. T t 2. 12. in init. & 13. ſub fin.

pta. [a] Ισημερινὴ παρουσία *Dodecatemorii Arietis* tonitru & grandines efficit *Ptolemæo*; & Aëris Conſtitutionem, Ventóſque immutari, *Luminibus centra Mundi* tranſeuntibus, idem aperte teſtatur. Peſtes, Cometas, & Terræ-motus frequentiſſimè oriri circa Solſtitia, & Æquinoctia ſuo loco infrà probabimus; & *Æquinoctiorum potiſſimùm tempore maximè commoveri Æquora, & ſuſcitari cum alias, tum diras iſtas tempeſtates, quas Oracanos & Ecnephias nominant*, veriſſimè obſervavit [b] *Voſſius*. Et quid mirum eſt corpora tunc commoveri, cum Aër, Aqua, totáque rerum natura adeò vehementer concitetur? Non enim *Morbidus Autumni Status*, ut obiter hoc moneam, *ſolummodò dependet* à *viſcidis Humoribus Calore Æſtatis prægreſſo excoctis & torrefactis*, (cujuſmodi hujus rei rationem vel olim attulit [c] *Heſiodus*) multò minus à *nimio Autumnalium Fructuum eſu*; cùm non omnes *Autumni* fructuoſi, ſint Morbidi; nec *Edaciores* tantùm, ſed quoſlibet tunc temporis *Morbi Epidemici* invadant: ſed ab Aëris διαθέσει *Cauſis Cœleſtibus* potentiùs commotâ, & alteratâ. Nec *Declinatio* Solis, quamvis plurimum poſſit, eſt hujus rei cauſa *totalis*, ſed ejus *ſitus Æquinoctialis* unà cum Stellis Fixis; cùm & alii Planetæ ibidem poſiti, reliquis etiam Anni Tempeſtatibus, ſint valdè noxii; quod apprimè notandum.

[b] De mot. mar. c. 28.

[c] ἔργα & ἡμερ. 2. 35 verſ.

Cui autem Antiquorum non notum eſt dictúmque *Turbidum Æquinoctii ſidus*? maximè Poëtis, poſt [d] *Homerum* & [e] *Heſiodum*, qui ob largos imbres, & tempeſtates, *Autumnum* navigantibus periculoſiſſimum fuiſſe notavit, in ſua [f] Ephemeride Dierum ad Opera facienda bonorum, malorúmque. Unde menſis Atticorum qui in *Æquinoctium Autumnale incidit*, dictus [g] Μαιμακτηριών, ἀπὸ τοῦ μαιμάσσεσθαι quòd Aër tunc turbidus eſſet. Adeò verum eſt, & omnium ſæculorum experientiâ confirmatum, quod diverſis in locis prodidit, *Naturæ conſiliorum particeps* [h] Plinius, *Æquinoctiis Terras crebrius moveri, & Fulmina fieri, Cardinibúſque Tem-*

[d] Hom. Il 16.

[e] Heſiod. 2 verſ. 202.

[f] Heinſius in Heſiod. c. p. 20.

[g] Harpocrat. Lexic.

[h] Nat. Hiſt. 2. 50, 59, &c. & 18. 59, 68.

porum

porum raro non aliquos tempeſtatum ſignificatus haberi, & magnos Anni Cardines, eſſe Magnas Res Mundi.

Sciendum autem eſt, nos in hoc Doctrinâ non nudam *Interſectionem Æquinoctialem* conſiderare, ſed *Totum Circulum*; cui & aliqualis *Latitudo Phyſica* meritò eſt tribuenda, intra quam Planetæ poſiti, Effectus producunt *Puncti Æquinoctialis Poſitioni* pares. Et certè notavit *Ptolemæus* vel Παρȣσίαν Æquinoctialem eſſe Turbidam; & frequens experientia teſtatur, Gradus Eclipticæ etiam ab Æquinoctiis aliquantùm remotos eſſe violentos; propter approximationem ad illa.

(10.) *Planetæ poſiti* immediato ordine *ſecundùm Signorum ſeriem, Vim habent maximam generandi* calorem. *Ordo autem* Planetarum interruptus (*quem*, Hiatum, *docendi cauſâ nuncupabimus*) Frigus *procreat.*

Planetæ enim tunc tanto intervallo disjunguntur, ut mutuus eorum Calor communicari, & augeri non poſſit; nec Fixarum interjacentium vis ab iis foveri & irritari.

Notandum autem eſt, Planetarum *Ordinem* tunc *interrumpi*, cùm Signum immediatè ſuccedens à nullo Planetâ occupetur; aut Planetæ immediatè ſuccedentes à ſeinvicem diſtent pluſquàm ſigni ſpatio;

Ex. grat. ſuccedant ſibi Planetæ hoc ordine,
♈ 1. ♃. ♉ 20. ♄. ♋ 1. ☉. ♌ 10 ☽.

Hîc vides duplicem *Hiatum*; primò, inter *Iovem* & *Saturnum* quòd pluſquàm triginta gradibus, Signi nimirum ſpatio diſtent: ſecundò inter *Saturnum* & *Solem*, ob defectum Planetæ in ſigno immediatè proximo.

(11.) *Nec* Diſtantia *ſolùm* nimia *Planetarum*, *Frigus procreat*; *ſed* & nimia eorum Vicinia, *quæ* Coarctatio Loci *non ineptè dici poſſit.*

Planetæ enim in arctius ſpatium concluſi, Calorem ſuum quaquaverſum per totum Aërem diffundere non poſſunt.

Coarctatio autem loci fit, cum Planetæ plures in unum locum concludantur, ut fit in conjunctionibus; aut minùs *quindecim gradibus* à ſeinvicem diſtent: quo in caſu minus efficaciter operantur; nec *Debitam* (uti vocabimus) habent *Diſtributionem.* Hinc enim fit ut Vis Cœleſtis, quæ *Vectis* adinſtar, aliqualem *debitam diſtantiam* requirit, enervetur; & minus ſpatium Aëris calefiat. *Debitam* autem habent *Diſtributionem*, ut experientiâ patet, *cum diſtent quindecim gradibus.*

Nullo autem modo eſt prætereundum Hiatum Vacui Signi, & nimiam Diſtantiam Planetarum, aliquando Caloris effectus non impedire, cum Planetæ ponantur in locis Cœli calidioribus, & vehementioribus; aut cum ſignum immediatè ſubſequens occupetur à Tribus Planetis; defectus enim iſti ſupplentur, à Validâ eorum Poſitione, & majoris Caloris Vicinitate. Sic, exempli gratiâ, *Leo* & *Libra* validè à Planetis occupati, ſæpe ſupplent defectum Planetæ in intermedio *Virginis* Signo.

Iſti duo Aphoriſmi ſunt diligenter notandi, & penitus animis infigendi; cum ſint *Fundamentalia Prognoſtices Principia*; & cauſa præcipua Viciſſitudinum Caloris & Frigoris, ſubitarúmque Mutationum Aëris, quæ fiunt potiſſimùm Planetarum acceſſu, aut receſſu à ſeinvicem. Hinc *Mercurii* aut *Lunæ* diſceſſu à *Sole*, mutatur aut ſilet Ventus; & ſubitum Frigus à *Coarctatione* ortum, mox *debitâ Diſtributione* diſſolvitur. Hujus autem rei Ignorantiâ,[a] *Stæflerus*, ſe deridendum exhibuit Diluvium prædicendo ex *cöitu omnium Planetarum*, Lunâ exceptâ, in *Aquatico Piſcium Signo* Menſe *Februarii*, An. 1524. Cùm totus iſte Menſis in Artis ludibrium Serenus eſſet; ob inopiam nimirum *Debitæ Diſtributionis* Planetarum; qui in unum locum concluſi minus poſſent, in *debitâ autem diſtantiâ* miras edunt ſtrages.

[a] Cardan. Segm. 7. Aph. 34.

E duobus

E duobus iſtis Aphoriſmis, tanquàm à Fonte, ſequentia promonant *Corollaria*, Artis hujus *Principia* non infima;

1°. *Sex Signa* immediatè *occupata, à Planetis debitè diſtributis; nunquam, quod memini, Pruinam gignunt: ſed Pluviam, Ventos, Nubilum, aut minax Cœlum, reliquóſque Caloris effectus, pro diverſis Anni partibus.*

2°. *Sub quinque etiam Signis* immediatè & debitè *occupatis, idem evenire ſolet: rarò enim, in hoc ſtatu, oritur Frigus, aut Gelu, ſed Calida, Nubila, aut Ventoſa Tempeſtas, & frequenter, admodùm Pluvia.*

4°. *Quatuor tantùm ſigna occupata, Frigus afferunt, aut Calorem remiſſiorem.*

5°. *Tria, ut & Duo Signa, Frigus afferre ſolent; necnon & omnes Planetæ in Unum Signum concluſi.*

(12.) *Ordo etiam & Diſpoſitio Planetarum in Prognôſi faciendâ, diligenter eſt notanda.*

Planetarum enim Vis, Ordinatæ Militiæ adinſtar, ſuam cuique ſedem ſeu ſtationem poſtulat: quæ quidem non eſt perpetua & conſtans, ſed indies immutatur, ex difformitate motûs Planetarum nunc tardius, nunc celerius meantium; imprimis autem ex pernicitate motûs *Lunæ*, quæ nunc Planetas præeuntes aſſequi contendit; mox verò poſt ſe relinquit. Hac autem in re, ſequentes Regulæ ſunt tenendæ.

1°. *Vix unquam fieri Cœlum* Ventis vehementer turbidum, *nec* Exceſſus Caloris aut Pluviæ, *Planetis omnibus Exiſtentibus in* eodem Hemiſphærio, *niſi ſint in* locis maximè violentis:

lentis: *Tanta eſt iſtiuſmodi Oppoſitionis Vis, quâ ex utróque Hemiſphærio quaſi concurritur; & Planetæ oppoſitâ Radiatione irritantur.*

Iſtiuſmodi igitur Planetarum poſitiones, Cœlum *pacatum* & *Tranquillum* ſolent efficere, & Ventos *Orientales* movere;

♎ ♏ ♐ ♑ ♒
♏ ♐ ♑ ♒ ♓
♈ ♉ ♊ ♋ ♌
♉ ♊ ♋ ♌ ♍

2°· *Planetæ in oppoſito Hemiſphærio magnam vim habent, ſi modò ſigna in quibus ſint, ordine & ſitu reſpondeant ſignis vacuis alterius Hemiſpherii. Hoc docendi cauſâ,* Ordinem obliquum, *ſeu* Oppoſitum *nuncupabimus*

Ex. gr. ♈ ♏ ♊ ♋ ♒ Hic vides Planetas in ♏ & ♒ poni *obliquo ordine*; qui ſupplendo Hiatum Hemiſpherii ſuperioris, tantundem, immò plus valent, quàm ſi *recto ordine* ſecundùm ſignorum ſeriem progrederentur. Hinc fit ut quinque ſigna ſæpe producant Ventos Turbulentos & Sonoros; modò duo, vel unum tantum ſignum in *Oppoſito Hemiſpherio* debitè fuerit occupatum, pro ſubjecti Schematis ſerie;

♒ ♓ ♎ ♏ ♐
♒ ♍ ♎ ♏ ♐

Et tamen notandum eſt quando duo Signa *immediatè* ſibi *ſuccedant Obliquo Ordine*, Vim Planetarum ob iſtiuſmodi *Hiatum*, eſſe aliquàntò debiliorem, niſi ad *Frigidum* Aërem, *Ventóſque* Movendos.

(3°·) *Signa*

(3°.) *Signa* Antiſcia, *ſive potius gradus Eclipticæ* Antiſcii, *à Planetis occupati, non minimam Vim habent*; *quia* in eodem parallelo ſiti, Radiorum Vim meliùs ſibi invicem communicare, & junctis Viribus fortius operari poſſint. [a] *Radiatio enim utriuſque æquiangularis eſt, & unam & eandem lineam Terræ imprimunt.*

[a] Offuſius de Aſtror. Fac. c. 9.

Antiſcia autem vocamus quæ æqualiter diſtant à *Punctis Tropicis*; quæ unica & veriſſima eſt ratio vetuſtati cognita, inquit [b] *Petavius.* Eorum autem *Tabulam* hic exhibemus.

[b] Uranol. pag. 87

♊		♋
♌		♉
♍	Antiſcia	♈
♎		♓
♏		♒
♐		♑

Et hinc eſt quod ſex ſigna ab *Ariete* aut *Libra* incipientia adeò valida ſint; quia Planetæ in iſto ſitu *tria ſigna Antiſcia* occupent; qui & validiùs operantur, ſi etiam & *gradus* occupent *Antiſcios.* Quinetiam & ſex ſigna totum *Hemiſphærium* occupant, ab *Æquinoctio* ad *Æquinoctium*; aut à *Tropico* ad *Tropicum. Majoris autem arcûs major eſt Vis, propter plures & crebriores Stellas quas complectitur.*

(4°.) *Cùm Planetarum ſitus quamplurimùm poſſit, & Signa ſint naturæ adeò diverſæ, ut non parùm referat quo in ſigno maximus Planetarum numerus verſetur; permultùm intereſt ad Prognôſin ritè faciendam, ut diligenter advertatur, quot Planetæ in unoquoque ſigno degant; quibus gradibus, & quâ ſerie atque ordine.*

Planetæ

Planetæ enim vel in *uno* ſigno omnes poni poſſint, vel in *pluribus*, idque ordine vario; vel *duo* nimirum in *uno* ſigno, & *quinque* in *altero*; *Tres* in *Ariete*, *Unus* in *Tauro*, *alter* in *Geminis*, *Duo* in *Cancro*, aut viceverſâ; modis admodum diverſis. Quoniam autem diverſitas iſta eſt propemodum infinita, (pro prudenti [a] *Ptolemæi* monito circa Doctrinam de Aſpectibus) *Particularibus* ſtudioſorum hujus Artis *Obſervationibus* eſt reliquenda; neque enim ad certas claſſes & regulas reduci poſſint, abſque labore improbo, & moroſâ nimis diligentiâ. Sciat autem Lector, *Fixarum Stellarum*, *Graduúmque uniuſcujuſque Dodecatemorii*, Naturas eſſe diligenter animadvertandas; ut ſciantur Vires ſingulorum Planetarum in unoquoque ſigno verſantium, & quid poſſint plures eorum, aut pauciores, in primo, ultimo, aut medio loco in ſignorum ſerie poſiti.

[a] Tetrab. 2. 9. pag. 128.

Interea, paucis iſtis Regulis contentus ſit;

(1.) Subſequens Ordo Signorum, & ſubjunctus Planetarum numerus Ventos procelloſos efficere ſolet; modò Planetæ in validis locis fuerint poſiti, & debitè diſtributi.

♓ ♈ ♉ ♊
2. 1. 2. 2.

Quinetiam & iſte Planetarum ordo & ſitus, ventos turbulentos affert.

♎ ♏ ♐ ♑ ♌ ♍
2. 1. 1 1 1 1.

Tropius enim, & utrúmque Equinoctium pænè occupatur, & Ordo interruptus ex oppoſito Hemiſpherio reſarcitur.

(2.) Iſtiuſmodi

(2.) Iſtiuſmodi quoque Planetarum *Syzygia* eſt maximè notanda, propter utrúmque Tropicum & Æquinoctium Autumnale ſimul occupatum

♋	♌	♍	♎
♑ 3.	1	1.	
2			

Cum iſta autem ſignorum ſeries, fuerit occupata à Planetis poſitis in ſequentibus diſtantiis, Terræ-motus, fulmen, fulgur, aut vehemens tempeſtas expectari poſſit

♋ 24 ♀. ♌ 5 ☉ 7 ☾. 17 ♂. ♍ 2 ☿. ♎ 1 ♄.
♑ 20 ♃.

(3.) Unus Planeta in principio Signi, & alter ſive duo circa ejus finem; ſunt efficaces; preſertim in *Tauro*, & *Geminis*, eorúmque ſignis Oppoſitis; propter *Pleiadas*, *Hiadas*, & *Orionem*.

(4.) Quando quatuor ſigna à Planetis occupentur ſubſequens Ordo eſt obſervandus. { 3. 1. 1. 2. / 2. 1. 1. 3.

Cum Tria, notetur iſta ſeries. { 3. 2. 2. / 2. 2. 3. / 2. 3. 2.

Cum duo iſtiuſmodi Ordo. { 2. 5. / 4. 3.

(5.) Omnes Planetæ in unum ſignum coacti ſemper quidem aliquos inſigniores effectus producunt, præſertim à Frigore procedentes: Sed non adeo notabiles, ac Aſtrologi opinati ſunt, niſi in *Hominum Corporibus commovendis*.

XIV. *Nec*

XIV.

Nec Simplicium tantum Radiorum vis, ſed eorum ab Angulo reflexio, *quæ* Aſpectus *communiter vocatur, permagni in hac Doctrina eſt æſtimanda; cum habeat vim maximè efficacem ad naturam Sublunarem exſtimulandam.* * Quod enim bovi eſt ſtimulus, equo calcar, militi claſſicum id ſunt Univerſo Aſpectus.

* Kepler. Harmonic. p. 168.

NItitur autem Aſpectuum Doctrina conſtantiſſimâ adeò Experientiâ ut [a] *Keplerum* Aſtronorum ſummum, diu reluctantum, tandem vicerit. Et certè Artem hanc pro eximio quo pollebat Ingenio, peritâ, & diligentiâ, ad ſummum culmen perduxerat; niſi, retentis ſolis *Planetarum Syzygiis, Fixarum vires, & Aſpectus Lunares* rejeciſſet. Unde eſt quod ſæpe ad *occultas cauſas, Mundi Animam, & Caloris Subterranei evaporationes* confugere cogatur; & in *Ephemeridibus* ſuis ſubinde fateatur, *ſatis cauſarum ſibi non apparere*; nec Aſpectus ſuos (licet egregiè illos multiplicaverit) *tantæ Aëris commotioni ſufficere.* Scio quidem multa contra hanc Doctrinam, à Viris Magnis, ſed hujus Artis utplurimùm ignaris, objici ſolere, ſpecioſa ſatis, & primâ fronte veriſimilitudinem ementientia; quibus tamen refutandis hîc immorari nolo, quòd ex rectâ ſequentium *Aphoriſmorum* perceptione ſponte ſua corruant.

[a] Kepler. de Trig. Igneo, p. 33. in prefat. ad Ephem. An. 1617. p. 34.

De

De Planetarum Aſpectibus.

I.

Ante omnia ergò diligentiſſimè eſt notandum, Aſpectus *mutuos Planetarum*, *eſſe mutationum Aëris* Cauſas tantùm partiales, *ſive* ſine quibus non, *non autem* Totales & Adæquatas; *& in Effectibus Sublunaribus producendis*, magnum *quidem pondus & vim habere*, *at non* omnem, *ſed viribus tantùm* ſuis proportionatam; *quæ licet in ſe ſit efficax*, *effectui tamen producendo non ſufficiat*, *ob defectum Cauſarum* Sociarum, *aut majorem Cauſæ Contrariæ Vim. Quomodo Vis aut Momentum* ut Octo, *aliquid quidem valet*; *at non per ſe*, *ad movendum pondus* ut viginti, *niſi reliqua Vis acceſſerit*; *& pondus quod lanci in unam partem impellendæ ſufficiat*, *majori contrariæ partis pondere in alteram fertur.*

DOctrinam hanc ex parte agnoſcit *Ptolemæus*, *Tetrab.* 1. 8. & 2. 9. *pag.* 128. ed. Græc. Lat. ubi docet Planetarum vires immutari pro diverſo concurſu ἄλλων τῶν συχηματιζόντων. Cujus rei veritatem quis frequenter experiri poſſit in *Conjunctionibus* aut *Oppoſitionibus Solis* & *Lunæ*; quæ inefficaces non ſunt in ſe; ſed ob defectum reliquarum cauſarum; ſcilicet ob *Hiatum*, *Coarctationem*, aut *nimiam diſtantiam* reliquorum Planetarum; aliaſque circumſtantias que in Operis progreſſu fient manifeſtiores. Hujus autem Aphoriſmi ope, Lector faciliimè diluet multos è doctis *Paralogiſmis*, quos viri cæteroquin eruditi, contra hanc Artem afferre ſoleant. Dicunt enim, *Aſpectus ſæpe inefficaces eſſe*; & *Aſtrologos* in *prædictionibus mirè hallucinari.* Et quidni hæc fiant *quando reliqua non concurrant*; & de *Effectu*,

ex *unius* tantum *Cauſæ Partialis* conſideratione,pronunciandum eſſe Statuere pergent *Aſtrologi*?

II.

Natura & Vis Aſpectuum, petenda eſt 1°· *Ex Angulo quem efficiunt Radii ad Terram cöeuntes.* 2°· *Ex Diſtantiâ Radiorum menſuratâ per* Zodiaci *Arcum Angulo ſubtenſum.* 3°· *Ex Ratione, ſeu proportione quam Arcus ab Angulo interceptus habet ad Totum Circulum.* 4°· *Ex Planetarum à quibus Radii profluunt, & Corporum in quæ agunt diverſâ naturâ, quâ Radiorum vis diverſimodè modificari, aut impediri poſſit.*

RAtionem hujus Aphoriſmi petat Lector è *Ptolem.* Tetrab. 1. 16, 27. *Offuſio* de *Divinâ Aſtrorum Facultate*, *Keplero*, & *Morino* in *Aſtrologia* ſua *Gallica*, ad quem præcipuè Lectorem remitto. Ex eo autem quòd Aſpectuum Vis ab Angulo ad Terram petatur, dixit [a] *Keplerus*, eos eſſe potius *Entia Terreſtria quàm Cæleſtia.*

[a] Epit. Aſtron. lib. 6. pag 744.

III.

Aſpectus Veteribus ſunt quinque, Conjunctio *nimirum*, Oppoſitio, Sextilis, Quadratus, & Trinus. *Licet Conjunctio, cùm è ſimplicibus tantum conſtet Radiis, nec ab Angulo reflexis, ſit Aſpectûs potius* principium, *quàm* σχηματισμός. *Aſpectus autem ſiniſter ſecundùm ſucceſſionem Signorum, in Re Meteorologicâ eſt validior dextro.*

IStis autem quinque Vulgaribus, *Keplerus*, *Mæſtlino* præeunte, plures addidit ex *Harmonices* rationibus petitos, quorum aliquos experientiâ edoctus poſteà rejecit. Vid. *Kepler. Inſtruct. ad Ephem.* An. 1617. pag. 35. & *Ricciol.*

Almag.

Almag. Tom. 1. lib. 7. ſect. 5. cap. 7. & Tom. 2. lib. 9. ſect. 5. cap. 11. *Aſpectûs* autem Vocabulum apud Antiquos non comparet; ſed *Conſpectus* vocantur *Cenſorino*, qui ſunt *Ptolemæo* σχηματισμοὶ & τρόποι.

IV.

Conjunctio Planetarum Vim habet ſanè magnam, ob Radiorum mixturam, *quorum Vis Corporum Conjunctorum Unione fit fortior.*

PER ſe quidem, *Calorem gignit*, *reſpectu loci* in quo fit Conjunctio; at reſpectu *Totius Atmoſphære*, *Frigus* potiùs efficit; quia Corpora ſimul juncta minùs ſpatium occupant, ideóque & Calorem minùs latè per Aërem diffundunt. *Ptolemæus* docet Aſpectus varias mutationes Aëris efficere διὰ τῆς συγκεκινωμένης τῆς διαδόσεως αὐτῶν, & διὰ τῆς φυσικῆς αὐτῶν ἰδιοτροπίας. Aſpectus è principiis *Phyſicis*, non *Harmonicis* deducens, eorúmque virtutem tribuens συγκράσει καὶ μίξει κοινωνίας τῶν δυνάμεων. Tetrab. 1. 1, 2. & 2. 9.

V.

Oppoſitionis virtus eſt inſignis, propter duos Angulos Rectos *quos Radii oppoſiti ad Terram efficiunt*; & *propter Arcum* Zodiaci *ſemicircularem Angulis iſtis ſubtenſum*; Majoris enim Arcûs major eſt Vis, etiam propter plures quas ambitu ſuo continet Stellas. *Qui & communiter eſt* menſura durationis pluviæ, aut alicujus ejuſmodi Effectûs Aſtro-Meteorologici.

EST quidem *Oppoſitio* in ſe, & in ſuâ naturâ conjunctione minus calida, quia Radii quò magis à Fonte Caloris recedunt, eò ſunt Frigidiores; in pluviâ nihilominus,

Ventis, aliiſque mutationibus producendis quæ *competentes* aliquos *Frigoris gradus* requirunt, *Conjunctione* plus valet; ob adverſantium Radiorum occurſum per lineam rectam in ipſo *Terræ Centro*, ubi *cöitionis Vis eſt fortior*; & quòd Radii longius producti contrario Frigidi Aëris ſpiritu admiſceantur, unde pugna & violentia inter contrarias qualitates oritur. Eodem ferè modo quo Halitus Oris frigidior ſentiatur à manu longiùs, quàm propiùs admotâ; quòd à *Laryngis*, & *Cavitatum Oris* calore remotior factus, frigido Aëre commiſceatur, & agitetur.

VI.

Quadrati Aſpectûs Vis, ſita eſt in Angulo recto, quem efficiunt Radii ad Terram cöeuntes.

EXperientiâ autem patet Vim ejus *maximè* perſpici, cùm uno Planetarum in Meridiano exiſtente, alter interim Horizontem occupat: duobus Planetis *Angulos* Cœli tunc obtinentibus; à quo poſitu Aërem moveri, diuturnâ obſervatione comperit [a] *Offuſius*. Angulum autem rectum efficit iſte Aſpectus, etiam cùm alter Planetarum non ſit in Meridiano; quia Radii ſunt ſemper Terræ *Perpendinulares* in hoc Aſpectu, licet non ſemper ſint *Verticales*.

[a] De Div. Aſtr. Fac. cap. 16.

VII.

Trinus Aſpectus efficit Angulum Obtuſum, *non multò majorem* Recto, *ad Centrum Terræ: immò nonnunquam* Rectum *efficit, pro differentiâ* Obliquitatis Zodiaci; *quâ ſæpè efficitur, ut in hoc* Aſpectu, *unus Planeta ſub* Meridiano *verſetur, altero interim ipſum* Horizontis Limbum *occupante.*

VIII. *Sextilis*

VIII.

Sextilis efficit Angulum valdè acutum ad ſuperficiem Terræ. *Eſt etiam notandum,* Quadratum Sextili, & Trinum Quadrato *efficaciorem eſſe, quod eorum Anguli à majori Arcu* Zodiaci *ſubtendantur.*

Reliquis forſan Aſpectibus non multum eſt tribuendum, cùm ad libitum penè in infinitum augeri poſſint; & alterius generis Fundamentis, *Harmonicis* nimirum, non *Phyſicis* nitantur. Quòd ſi novi iſti Aſpectus inter *Lunares* admittantur, mole ſua Obſervatorem obruent; nec à Veteribus Aſpectibus, quorum efficacia longo uſu confirmatur, ob *Lunæ* motum velociorem, ſatis diſtingui poſſint. Quâ difficultate motus *Keplerus,* in *Ephem.* ad *Dec.* 1627. in has voces erumpit: *In tantâ Turbâ, quis ovi cuique matri ſuum ſeliget Agnum?* Cùm autem inter novos Aſpectus Lunares, *Quincunx* tantùm & *Semiſextilis* videantur eſſe alicujus momenti; prior nihilominus ad *Oppoſitionem*, alter ad *Conjunctionem* reduci poſſit, quod ſint tantùm quaſi *deflexus* paulò *obliquiores* à perpendicularibus Conjunctionis & Oppoſitionis Radiis.

IX.

Diligenter eſt notandum, apertiſſimè conſtare tàm experientiâ, quàm auctoritate Veterum Aſtrologorum, Aſpectus Platicos *non minus validos eſſe, quàm* Partiles; & *eorum durationem extendendam eſſe ultrà præciſum Tempus Calculi Aſtronomici, pro ratione & proportione* Orbium Luminis *Planetarum; quorum*[b] Tabella *ab* Arabibus *deſumpta communiter circumfertur.*

[a] Vide *Johannis Eſhcuidi. Summam Aſtrologiæ,* Tract. 1.

[b] Diſt. 10. cap. 5. & *Ptolem.* Tetrab. 1. 27. κ᾽ἂν τε σωματικῶς συμβαίνῃ, κ᾽ἂν τε μετ᾽ ἄλλο τι σχῆμα--- χρήσιμόν ἐστι παρατηρεῖν καὶ αὐτὰ τὰ πλάτη. *Ricciol. Almag.* Tom. 1. pag. 664.

Conſtat

COnſtat enim ſæpiſſime *Æſtus* intumeſcere, & Frigora diſſolvi aliquâ parte diei precedentis, aut ſubſequentis ipſum *Congreſſum Solis* & *Lunæ*; idque virtute *Orbis proprii* eorum *Luminis*, etiam quando *Mercurius* & *Venus*, longiùs disjungantur; quorum *vicinitate* Aſpectus *Soli-lunares* ſæpè adjuvantur.

Quinetiam ex *Kepleri* Ephemeridibus aut cuilibet ex propriâ experientiâ ſatis conſtabit, *Solem* & *Venerem* efficacius operari ad aliquot graduum diſtantiam, quàm in *Centrali Conjunctione*. Planetæ enim operantur non ſolùm per *Contactum Corporalem*, ſed *Influentiâ Virtuali* quæ agit etiam in diſtans. Et Aſpectuum Virtus, non minùs quàm Vis Motrix; Sphæram Activitatis quaſi certam aliquam diſtantiam requirit, ad Vim ſuam fortius exerendam, quæ nimiâ propinquitate enervari poſſit.

Iſte Aphoriſmus nititur experientiâ, & eſt diligentiſſimè notandus; cum & veritatem ejus alicubi agnoverit magnus *Keplerus*, Cœleſtis Ingenii Vir, qui fatetur; *Planetas validos & tardos non contrahere ſuos effectus, ad momenta minuta conjunctionis plenariæ, ut de quibus adhuc ipſa Aſtronomia incerta eſt, propter ſubtilitatem.*

X.

Idem Aſpectus contrarios effectus producere valet, Humiditatem putà & ſiccitatem, at non quatenus Idem, *ſed prout à reliquorum Planetarum poſitione, aut Aſpectibus diverſæ naturæ, vis ejus modificatur, augetur, aut impeditur.*

XI.

Diverſi Aſpectus non ſemper diverſos producunt effectus; habet enim Natura plures cauſas diverſi generis, quæ ad eundum numero effectum concurrunt.

ET tamen unicuique Aſpectui ineſt *ſua Vis*, quæ experientiâ & diligenti obſervatione, à reliquarum concurrentium cauſarum virtute, per effectus ſibi proprios & peculiares diſtingui poſſit. Ut ſi pluat ſub Conjunctione *Solis* & *Lunæ*, ſi modò *Mercurius* non longè à Sole disjungatur, etiam & *Ventus* cum pluviâ increbreſcet; quo pacto *Mercurius* naturam ſuam prodit. *Vide* Ptolem. *Tetrab.* 1. 8. *ſub fin.* & 2. 9. *pag.* 128.

XII.

Aſpectus plures, quos Multiplicatos, *docendi gratiâ vocabimus ſunt* Simplicibus *potentiores: ob vim unitam quæ eſt fortior.*

ASpectus *Multiplicari* dicimus, cum plures eorum ſint in uno ſigno, aut in multis: Ut, verbi gratiâ, duæ Conjunctiones in *Tauro*; aut una in *Tauro*, altera in *Cancro*. Qui etiam memoriæ cauſâ, non ineptè dividi poſſint in *Aſpectus Incomplicatos*, & *Complicatos*; cùm nimirum Radii non ſeinvicem tantùm mutuâ φύσει reſpiciunt, ſed & *tertium* aliquem Planetam. Ut ſi ſub *Conjunctione Solis* & *Mercurii*, contingeret ſimul *Quadratus Jovis* & *Mercurii*; *Mercurius* iſto in caſu, non tantùm *Soli* conjungeretur, quod *Incomplicatum* Aſpectum vocamus; ſed & *Jovem* ſimul *Quadrato* Aſpectu intueretur.

Nè antem Benovolè Lector, monitum hoc leviter prætereas: permagni enim eſt momenti, in omni genere Commotionis ſublunaris. Plures ſimul Conjunctiones, & præſertim Oppoſitiones ſunt valdè efficaces, maximè quando cum alterius generis Aſpectibus implicentur; & ſuperiores Planetæ ſeinvicem reſpicientes, miros edunt effectus, cum *Sol*, *Luna*, aut aliquis ex reliquis Inferioribus Planetis ſe illis

illis applicuerit. Si *Luna per aliquem Aſpectum ad Planetas, qui Radios quoque inter ſe miſcent, ſe applicuerit, ipſorum ſignificationem promovebit, immo quaſi ſtimulis additis urgebit* inquit *Eichſtadius* in Ephemer. par. 1. pag. 42. *Et hinc erat, quod* Columbus [a], novi Orbis repertor, *noluit ſe Mari committere, ſub Complicatâ Oppoſitione Jovis, Solis, Mercurii & Lunæ*: Tempeſtatem exinde prænuntians, pro ſua ſagaci admodum in rebus Aſtrologicis peritiâ.

[a] Purchaſ. cap. 1. lib. 1.

De Aſpectibus Solis & Lunæ.

☉ ☽

I.

Sol *ex primævâ luce in Orbem collectâ factus, eſt Corpus omnium longè denſiſſimum; eò quod vim Calorificam, violentiùs omnium & longius emittat. Ex ſuperficie quidem conſtat Sphæricâ, Aſperâ tamen, & ex heterogeneis partibus compoſitâ, que videntur eſſe in continuo motu & fluxu; & diverſum habere lumen; fortius & clarius in* Centro, *circa* Peripheriam *autem debilius & obſcurius.*

II.

Luna *Terris citima, & varitate* Phaſium *maximè notabilis erat* prima Aſtronomiæ Magiſtra. *Eſt autem Corpus Opacum, Heterogeneum, & multiformiter aſperum, ſcabroſum & inæquale, ut lucem à Sole mutuatam diverſimode reflecteret, & modificaret; divina etiam providentiâ in Terræ*

vicinitate

vicinitate poſitum, ut in illam fortius & efficacius operaretur. Inter autem admirandos ejus effectus, mutationes Aëris meritò ſunt recenſendæ; ad quas non modò concurrit Temperato ſuo calore vel ſenſibus obvio, Humoribus evocandis & rarefaciendis aptiſſimo, ſed & reliquorum Planetarum efficaciam perficiendo, & abſolvendo. *Quia enim Effectus reliquis Planetis communes in actum ſæpè erumpant, ſub ipſo puncto* Concurſûs Aſpectuum Lunarium, *ideò videntur eſſe non tàm* Cauſæ Partiales,*quàm* Ultimæ, *quæ dant* Formam *Rei, &* Eſſe Completum.

PLanetarum Naturas & Effectus à [a] Veteribus acceptos tradit *Ptolemæus* Tetrab. lib. 1. 4. & 2. 9. Quos Phyſicis rationibus confirmat à ſenſu petitis; necnon à diverſâ eorum Magnitudine, [b] Coloribus, & Situ reſpectu Solis & Terræ; à quibus non *intimas eorum eſſentias*, τοῦτο [c] ὅπερ ἐστιν; ſed *Naturas ſenſibiles, & ſecundarias qualitates deducere conatur:* intra quos forſan limites coercenda eſt Humana κενοδοξία; cùm *prima rerum principia* nos in hac mentis caligine latere, & inanem noſtram περιεργίαν ludificare videantur. Licet autem *Ptolemæi* Doctrina, neſcio quo modo, aliquantùm ab hodierna experientiâ diſcrepet; multi tamen eſt facienda, nec temerè ſanè rejicienda; niſi cùm Obervationibus crebris & manifeſtis apertè repugnet; nam ratiunculæ, ſpecioſæ licet, quæ experientiâ deſtituuntur, in iſtiuſmodi rebus parum valent; nec Viris *eruditis*, ſed *inexercitatis*, tutò fidere poſſis. Ego qui Vetuſtatis, Hominúmque in Arte ſuâ conſenſu maximè moveor, ægrè ab Antiquorum, receptiſque opinionibus divellor; gnarus nos ſeram eorum progeniem, multa latere quæ illis cognita eſſent, ſeu negligentiâ, ſeu vetuſtate perierint, [d] *ſeu priſcorum cura fertilior, aut induſtria felicior fuerit*; prout eleganter, & egregiè conqueſtus eſt *Plinius*. Certè tandem Aſtrologorum Filios, monet vel ipſe [e] *Hevelius*, ut diligentius

[a] *Ptolem.* Tetrab. 1. 3. ἀκολουθοῦντες τοῖς Παλαιοῖς καθ' ὡς ἐκεῖνοι φυσικῷ παρετήρησαν τρόπῳ.

[b] *Salmaſ.* de Ann. climact. pag. 620.

[c] Tetrab. 1, 2.

[d] Plin. Nat. Hiſt. 14. 1.

[e] Cometogr. 388.

gentius ad *Colores Planetarum Cometarúmque attenderent*; ut ex illis *ſolidiora jaciant Ariis ſuæ fundamenta, & temporum, rerúmque eventus*, *certiùs divinare poſſint.* Colores enim diverſi, diverſas Lucis reflexiones arguunt, & difformitatem Corporum à quibus fiant; unde varios effectus produci poſſe nemo ignorat. Planetarum itidem diverſæ magnitudines, diſtantiæ, & motus res eſt tàm ſtupenda, & rationis conſiliique plena, ut *Keplerum*, poſt *Pythagoræos*, *Mundi Harmoniam* comminiſci impulerit; ipſúmque [a] *Ricciolum*, rejectis *Veterum, Recentiorúmque Hypotheſibus*, ad *Intelligentias Motrices* confugere coëgerit.

[a] *Almag.* t. 1. 279, 285, 536.

Solis quidem Lunæque [b] Natura & Vires, notiores ſunt, quàm ut nos hic diu morentur; præſertim cùm à Naturæ Myſtâ *Plinio* diverſis in locis notentur, & magnificè celebrentur, & à multis è recentioribus accuratè tractentur. *Senſu percipitur*, inquit *Ptolemæus* Tetrab. 1. 4. *Solem naturâ ſuâ calefacere, & moderatè deſiccare.* Et calefacit certè cum ſit igneæ ſubſtantiæ huic noſtræ Elementari haud abſimilis; Terramque Humores attrahendo deſiccat, licet Aërem Humidum Vaporibus reddat. *Lunæ naturam Humectantem* tribuit; & propter *Solis φωτισμὸς calorem moderatum*, quo, cùm ſit *Terræ vicina, Vapores haurit*; nimirum è Terrâ in *nubes*, non in *Sphæram Lunarem*; quod in *Ptolemæo* culpat [c] *Scaliger*; ſed immeritó, ut vel ipſa Textûs verba monſtrant. *Lunam* autem calore remiſſiori præditam eſſe, multi ſenſibus percepêre, altitudinem ejus obſervantes poſt *Plenilunium*; & cum ſit lucida, neceſſe eſt ut calore non deſtituatur; licet à ſenſibus noſtris propter majorem eorum calorem non ſemper deprehendatur. Utriuſque Luminaris Effectus [d] *Ptolemæus* ſuo more, preſsè at dilucide ſimul congeſſit: quorum nonnullos hic attingere non erit omninò alienum. Aquarum fluxus à *Sole* dependere notant [e] *Ptolemæus* & *Plinius* & latè probat *Voſſius* in eximio opere de *Motu Marium*; Æſtúſque Fluminum, Mariſque, *Lunæ* etiam deberi,

[b] *Plin.* Nat. Hiſt. 2, 5, 9, 98. *Voſſius* de Idol. lib. 2. *Ricciolus*, *Hevelii*, Selenogr.

[c] In *Manil.* pag. 44.

[d] Tetrab. 1. 2. ſub init.

[e] Tet. 1. 2. κ̀ ῥύσεις ὑδάτων. *Plin.* Nat. Hiſt. 2. 97. *Verum cauſa in Sole Lunaque.*

deberi, pauci ſunt qui non agnoſcant, & nos infrà monſtrare conabimur. In omnibus Effectibus præcellit quidem *Sol*; nec tamen reliquorum virtus eſt deneganda; *Lunæ* præſertim, quæ diverſitate *Phaſium*, calorem *Solis* diverſimodè reflectit, & attemperat, & Humori attollendo aptum reddit, ſpirituoſiſque ſuis radiis Aquam imprægnat, & rarefacit, unde *Humida* dicitur, quod *Humores* attollat; *Solis enim ardor cuncta torret ſorbetque; dum Lunæ fœmineum ac molle ſidus, atque nocturnum, ſolvit humorem, & trahit non aufert*, inquit *Plinius*, lib. 2. 100, 101. *Maniacos*, & *Epilepticos*, *Lunæ* vim ſentire, quis eſt Medicorum qui non fateatur? Immò & puerorum σπασμοὺς in *plenilunio* maxime infeſtos eſſe docuit [a] *Ariſtoteles*. *Conchylia* à *Luna* augeri & minui, omnes credunt; licet [b] *Voſſius* exiſtimet hoc illi *inter alia perperam adſcribi*; & Eruditiſſimus [c] *Huetius* Obſervationibus in *Manilium* aſſerat *ſe complures conchas, quadrupedúmque medullas rimatum fuiſſe diverſis Lunæ temporibus, neque ullam deprehendiſſe mutationem, quam ad Lunam certò poſſet referre; certioribus tamen experimentis* vult *hoc explorari, & interim aſſenſionem retinendam eſſe ſuadet.* In [d] *Re Ruſticâ infinitum refert & Lunaris ratio; creſcente enim Lunâ Frumenta grandeſcunt*; & *omnia quæ cæduntur, carpuntur, conduntur, innocentius decreſcente Lunâ, quam creſcente fiunt.*

Quamplurima Animalia *generatim ſæcla propagant*, certis & ſtatis *Anni* Temporibus; *Vere* præſertim, *Æſtate*, & *Autumno*; immò & nonnullis, quod mirum, vel *Hyemis Frigus* blandum amorem incutit. Unde [e] *Ptolemæus* ſolerter admodum, *Animalium Fœtus Soli* potiſſimùm attribuit, quòd *Annus* ab illo moderetur. Partus autem gerendi tempus, aliáque huc ſpectantia, à *Lunâ dependere* autumat [f] *Hippocrates*; cujus *ſpatiis ſeptenariis* multùm etiam tribuit [g] *Ariſtoteles*. Solertiſſimus autem iſte Naturæ indagator, lib. 4. de Generatione Animalium capite decimo, Tempora *pro-*

[a] De Hiſt. Animal. 7. 12.

[b] De motu marium cap. 16.

[c] In lib. 2. verſ. 93.

[d] *Plin.* 16. 39. & 18. 30, 32.

[e] Tet. 1. 2. διὰ τῆς μεταβολῆς τῶν καιρῶν, γονὰς ἐκτελῶν ζώων.

[f] *Hippocr.* de ſeptim. partu & octim.

[g] *Ariſt.* Hiſt. An. 6. 17. *Plin.* Nat. Hiſt. 7. 5. Sponii *Aphor.* novi *Hippocr.*

Procreationum, *Graviditatum*, & *ipſius Vitæ*, menſurari aſſerit *Periodis Solis*; immò & *Lunæ*, quòd ſit *quaſi Sol Minor*, ὥσπερ ἄλλος ἥλιος ἐλάττων. Quin & non modò eorum Calori & Frigori *Moderato*, * *Principium* & *Perfectionem* generationis, ſed & generatorum *obitus* illis attribuit; quos etiam *ab Aſtrorum Periodis* vult pendere.

* Βούλεται ἡ φύσις τοῖς τούτων ἄστρων ἀριθμοῖς, ἀριθμεῖν τὰς γενέσεις καὶ τὰς τελευτάς. *Ariſt.* de Gener. An. 4. 10.

Quod ſiquando partus *Luminarium numeris non exquiſitè reſpondeant*, fieri hoc ait *præter naturam* ab aliis cauſis impedientibus, aut διὰ τὴν τῆς ὕλης ἀοριστίαν. Quæ viri ſummi, & acris ſubactique judicii verba, diligenter ſunt penſitanda, cùm ex intimâ [a] Philoſophiâ petantur. Si enim *Igne omnia moveantur*, ut vult [b] *Hippocrates*, & ipſe *Sanguis à Luce Humoribus immerſâ in Orbem rapiatur*, quod ſuadere contendit [c] *Bartholinus* libro de *Luce Animalium*; quidni dicamus *Vitam*, quam in *Calido* & *Humido* dicunt conſiſtere, à *Caloris Fonte* dependere, [d] *Animámque Senſitivam* nihil aliud eſſe, quam ſanguinem aut ſpiritus à Calore Cœleſti commotos & accenſos? Nolo autem *conjecturis* ulterius indulgere; licet certiſſimum ſit, & abunde norint [e] *Iatro-Mathematici*, quorundam Planetarum quoſdam Aſpectus Vitæ inimicos eſſe; alióſque ſalutares & beneficos.

[a] Vide *Harveum* de Partu.
[b] De Diætâ l. 1.
[c] Pag. 32.
[d] Vide *Harvæum* de Calido innato. *Williſ.* de Anima Brutor.
[e] *Eicſtadius* de diebus criticis. *Maginus* in *Galenum* de diebus criticis, & de legitimo Aſtrol. in Medic. uſu.

II.

Aſpectuum Soli Lunarium *efficacia extendenda eſt ultrà ipſum Congreſſûs Tempus; non ſolum ob majorem vim diſtantiæ Aſpectûs platici, ſed quod appulſu Lunæ ad* Venerem *aut* Mercurium, *in* Solis *viciniâ utplurimum poſitos, Aſpectuum Vis augeatur. Ideóque effectus* Soli-Lunares *ſunt expectandi intrà aliquod* Tridui ſpatium; *& frequentiùs aliqua parte diei Aſpectum præcedentis aut ſubſequentis, quàm ipſo Congreſſûs die; quod apprimè eſt notandum. Aliquod autem Spatium ad Effectum Aſpectûs producendum meritò eſt requirendum, cùm de veris Planetarum motibus adeò incerti*

ſimus

ſimus & Ephemerides *tantoperè ab ipſo Cœlo exorbitare ſoleant.*

ARABES apud [a] *Eſchuidum* noſtrâtem, *Orbi Lunæ* attribuunt *gradus duodecim, antè & retrò*, uti loquuntur; id eſt *ante*, & *poſt* congreſſum; unde aliquod *Tridui* ſpatium huic rei eſt tribuendum. Et ex hac Regulâ prædixit hujus Artis *Inſtaurator*, fore aliquam remiſſionem diuturnæ & acris Hyemis Anni 1683. circa undecimum *Januarii*, diebus quatuor poſt *Novilunium*; propter *Lunæ* Aſpectus cum *Tribus Superioribus*, poſt ejus *Conjunctionem* cum *Mercurio* & *Venere*, à quorum etiam tepore Aër leniebatur.

[a] Summa Aſtrol. Anglic. pag. 56.

De Conjunctione Solis & Lunæ.

☌ ☉ ☽

III.

Conjunctio Solis & Lunæ Aërem calidiorem *reddit & effectus calorem conſequentes producit, aut productos auget & promovet.* Novilunium *enim ſemper dat* aliqualis caloris indicia; *idque vel nubes paulò minaciores congregando, aut auram leniter movendo, ubi tanti roboris non ſit, ob reliquarum nimirum Concauſarum defectum, ut pluvias aut ventos producat. Quin & tanquam Cauſa Socia concurrit, ad reliquos omnes Effectus, qui hujus Aſpectûs tempore eveniant.*

PLuviam quidem, *aut* Ventos procreat. Determinatio autem Cauſæ ad alterutrum Disjunctionis membrum dependet à naturâ & conſideratione *reliquorum Planetarum*; prout ad Ventum, aut pluviam fuerint magis diſpoſiti.

Ex

Ex omnibus autem effectibus *pluviam ſæpiſſimè* producit *Novilunium*; *efficaciter* quidem in *Cœli Angulis*; *efficaciſſimè* autem in aliquibus *Zodiaci* locis, *Ariete* nimirum *Leone*, *Capricorno*, & *potiſſimûm in Virgine*†; quorum Signorum *Novilunia* vix unquam pluviarum ſunt infœcunda.

† hoc confirmavit noviluniū mense Aug. 1745. austrum calidum, multamque pluviam producendo.

IV.

Novilunium cum ſit calidum, Ventos calidos producit: Auſtrales nimirum ſæpiſſimè, Occidentales ſæpiùs quàm Boreales, Orientales autem omnium parciſſimè.

NOvilunio appropinquante, Ventus ſubinde mutatur; at, quod notandum eſt, à *Plagâ Frigidiori* ad *Calidiorem*, propter appulſum Lunæ ad Solem. *Acceſſus enim Lunæ ad Solem, Ventos calidos producit; receſſus à Sole, Frigidos.*

De Oppoſitione Solis & Lunæ.

☍ ☉ ☽

V.

Iſte quidem Aſpectus plenâ luce omnium oculis ſe ingerens, primam forſan dedit anſam Obſervationibus Aſtro Meteorologicis. Et Effectus quidem producit violentiores *certè, ſi non* numero æquales *cùm Novilunio.*

Pluviam enim aut *Ventos producit, idque* violentius *quàm Novilunium, ut & Nivem & Grandinem; nebulas autem & Tonitru parcius. Ventos etiam Plagæ Occidentalis quam maximè movet; proximè Auſtralis; Orientalis ſæpè, Borealis autem rariſſimè.*

Et

Et Plenilunia Menſium Aprilis & Auguſti, *pænè ſemper pluviam* generant; *necnon illa quæ incidunt in Signa* Aquarii, Arietis, Tauri, Virginis, & Libræ. + Plenilun. in Tauro 1745. frigid. adspect. conjunct. ++ Plenilunium in Virg. 1745. ... excitavit, ... vehementem, coelū clarum. c. frigore. sed NB. eodem tempore incidit ✶ 5♀. 1.1753.

V*Iolentæ* admodùm *Tempeſtates* ſub hoc Aſpectu oriuntur, & *Frequentiores* quam ſub ullâ alia *Phaſi* propter rationes allatas in Aphoriſmo *de Oppoſitione in genere*; capite de Aſpectibus Planetarum, Aphor. 5°. *Ventus* enim *Frigoris* aliquos gradus poſtulat; cùm ſit *Exhalatio Frigida, à calidâ commota, & agitata*; *ex quarum pugnâ oritur violentia.* Et cum *Plena Luna*, ſit à *Sole* remotior quam *Nova*; ideò neceſſe eſt ut *Frigidior* paulo ſit; *violentior* autem, quod majorem Cœli Arcum afficiat, pluréſque adeò Stellas radiis ſuis irritet. *Radii enim quando ſunt remotiores, majus ſpatium illuminant, & afficiunt.*

Sub Plenilun. April. et Augst. Arietis et Librae ... cum pluvia. 1745. plenil. octobr. Sub ☍ ☉☽. in ♈ ♎. 1761. 8br. nulla pluvia cum nebula. 1762. pluvia cum ... fortiss.

V I.

Dies Novilunares *ſunt* calidiores Plenilunaribus, *quia in* Pleniluniis Diurnis Luna *eſt* ſub Horizonte, & *utplurimùm ſolitaria*: *in* Noviluniis *autem* Diurnis, *licet pars ejus illuminata à nobis avertatur, à calore tamen Solis, & Planetarum qui Solem perpetuò comitantur, diei Calor augetur.* *Noctes autem* Plenilunares, (*quod notavit etiam &* [a] Ariſtoteles) *ſunt* Novilunaribus *calidiores, quia* Luna *tunc vertici noſtro imminens, plenâ luce, & radiis perpendicularibus Terram ferit.*

[a] De partib. Animal. 4. 5.

V I I.

Hyemes *maximè rigentes, & gelu aſperrimum, ſæpè ſolvuntur à* Noviluniis & Pleniluniis *aut ſaltem aliquid de rigore ſuo remittunt. Hoc autem evenit, biduo aut triduo ante vel citra, ſæpius quam ipſiſſimo* Conjunctionis *aut* Oppoſitionis

ſitionis *die :* Cùm nimirum *Luna* ad *Mercurium* aut *Veneaem* perpetuos Solis aſſeclas defluxerit, *aut* Martem Conjunctis *aut* Oppoſitis *Radiis aſpiciat ; aliquando enim, ac ſi* Mars *eſſet* Solis *æmulus, Gelu concreſcens ſub Conjunctione ejus cum* Lunâ, *diſſolvitur ſub Oppoſitione, & è contra.*

Nec eſt prætereundum Glaciem pruinámque à Pleniluniis, nocte fortiùs quàm de die reſolvi ; à Noviluniis autem de nocte lentiùs quàm à Pleniluniis ; ob rationes jam traditas.

De Quadrato Solis & Lunæ.

□ ☉ ☽

VIII.

Iſte Aſpectus eſt magnæ virtutis quia tunc Luna eſt Terræ propinquior quam in reliquis Phaſibus ; *& Tardè moveatur*: Luna enim eſt Tardior in Quadris, quàm in Copulis.

Et hinc, ut obiter hoc moneam, optimè ratio peti poſſit, cur Septimus *Dies à Conjunctione Solis & Lunæ, ſit* maximè κρίσιμος: Quia nimirum in Quadraturis, centro Epicycli occupante Perigæum Eccentrici, Luna eſt Terræ vicinior, quàm in ullâ aliâ φάσει.

ET certè iſte Aſpectus intuentibus jucundum præbet ſpectaculum ; *Sole* nimirum in *Meridiano* exiſtente *ſub ortum Lunæ* in *primâ Quadraturâ* ; & è contrà, *Lunâ Medium Cœli* occupante ſub *ortum Solis* in *ſecundâ Quadraturâ :* quò fit ut *Semidiameter Hemiſpherii* quaſi limitetur & dimetiatur , à rectangulari diſtantiâ utriúſque Luminaris.

IX. *Qua-*

IX.

Quadratus Aſpectus eſt calidus, & adæquat ferè efficaciam Plenilunii, præſertim in productione pluviæ ad ipſum Aſpectûs momentum. Et prior *quidem* quadratura, *certiſſimè pluviam producit menſibus* Februarii, Maii, & Novembris; Poſterior, *menſibus* Junii, Octobris, & Decembris.

Prima quadratura ad Eurum inclinat. secundã Auth. observ. in Trad. Angl.

X.

Secunda Quadratura eſt primâ *calidior; pluvias enim & Ventos violentiores producit; & Exceſſus Caloris, nebulas, Trajectiones, & Tonitru ſæpius; Gelu autem & Frigus rarius.* Tunc enim Luna Tardius fertur; & Solem præcedens Aërem calidiorem reddit. *Immò ad ortum ejus in* Meridiano *exiſtens*, *uterque* Hemiſpherii Quadrans *afficitur*; Lunâ *occupante* Meridiani τεταρτημόριον Occidentale, *dum* Sol *in* Orientali *verſatur.*

Quin & Venti frequentius moventur, pluſque cadit pluviæ, ſub hoc Aſpectu poſt Meridiem, *quam* antè: *utròque Luminari* Occidentalem Quadrantem *tunc illuſtrante; qui eſt* Orientali *calidior*, *quod omnes ſtellas recipiat, quæ ad occaſum ſenſim properantes,* Orientalem Quadrantem *priùs deſeruiſſent.*

Experientiâ compertum eſt, Quadraturas *vim habere, non ſolùm ad* ortum & occaſum Solis; *ad* Meridiem, & mediam noctem, *quando alterum Luminarium eſt in aliquo Cæli Angulo, quorum magna eſt vis; ſed & quavis* Diei Naturalis *Horâ, etiam* utroque Luminari *ſub* Horizonte *exiſtente.*

NOtandum hîc eſt, Vim *Quadrati* protrahi debere ad *Spatium horarum quadraginta & octo*; ideóque & Effectus ejus intra aliquod *Tridui* ſpatium eſſe Expectandos;

tantundem enim illum poſtulare, experientiâ deprehenſum eſt.

Et hinc apparet *Quadrati* Aſpectûs *Angulum rectum*, eſſe *Phyſicum*, non *Mathematicum*, Latitudinis expertem.

Nec prætereundum, omnes Aſpectus Lunares *ſecundos*, eſſe *primis* calidiores: quòd iſto in *caſu Luna Solem antegrediatur*. Unde apertè patet Lunam ſuum habere calorem.

De Trino Aſpectu Solis & Lunæ.

△ ☉ ☽

XI.

Iſte Aſpectus licet non plures *Ventorum Tempeſtates*, ſæviores *tamen reliquis omnibus producit. Conſtitutionem* Aëris *calidam auget, & ad ſubitaneas Ventorum mutationes ab unâ plagâ ad alteram, maxime confert: quod Tempeſtatis imminentis, aut jam alibi exiſtentis, ſignum eſſe ſoleat. Violentiam omnis generis auget, & promovet, & in nonnullis Signis pluviam ſæpiſſimè procreat.* Ex. gr.

MEnſe *Januarii* Sol in *Aquario*, Trino Aſpectu illuſtrans *Lunam* in *Gemini*, *octo annorum vicibus*, pluviam *ſepties* produxit; quo modo ſequens Tabella eſt intelligenda, nec inutilis, nec injucunda:

Jan.

	☉	☽	Vic. Ann.	Vic. Pluv.		☉	☽	Vic. Ann.	Vic. Pluv.
Jan.	♒	♊	8.	7.	*Jan.*	♒	♎	7.	6.
Febr.	♓	♋	7.	5.	*Feb.*	♓	♏	7.	7.
Martii	♈	♌	7.	7.	*Martii*	♈	♐	7.	7.
April	♉	♍	8.	4.	*April.*	♉	♑	7.	4.
Maii	♊	♎	7.	5.	*Maii*	♊	♒	8.	8.
Junii.	♋	♏	8.	6.	*Junii*	♋	♓	7.	4.
Julii	♌	♐	7.	5.	*Julii*	♌	♈	7.	5.
Aug.	♍	♑	8.	7.	*Aug.*	♍	♉	8.	6.
Sept.	♎	♒	7.	7.	*Sept.*	♎	♊	8.	8.
Oct.	♏	♓	7.	4.	*Oct.*	♏	♋	7.	7.
Nov.	♐	♈	7.	6.	*Nov.*	♐	♌	7.	6.
Dec.	♑	♉	7.	7.	*Dec.*	♑	♍	6.	6.

Unde patet, Signorum Zodiaci proprietates eſſe valdè diverſas; his crebrius, illis rarius pluviam producentibus. *Trinus* enim *prior* menſibus *Septembris*, *Novembris*, & *Martii*; *poſterior* autem *Februario*, *Martio*, *Maio*, *Septembri* & *Octobri* rarò Pluvias non producunt; reliquis, parciùs.

Trinus autem *Quadrato* eſt magis turbidus; quia *Angulus* quem ad Terram efficit à *majori Arcu* ſubtendatur, quatuor nimirum Signa continente.

[a] *Manilius* quidem ex *Aſtrologorum* placitis, majorem Vim *Trigono* tribuit, quàm *Tetragono*; quòd illius latera magis ad Terram accedant. Verſus ejus hic apponere non pigebit, Lib. 2. verſ. 352.

Sed longè major Vis eſt per ſigna Trigoni,
Quàm quibus eſt Titulus ſub quarto quoque Quadratus.
Altior eſt horum ſummoto linea Templo:
Illa magis vicina meat, Cœlòque recedit,
Et propius Terras accedit viſus eorum,
Aëráque infectum noſtras dimittit ad auras.

De Sextili Solis & Lunæ.

✱ ☉ ☽

XII.

Iſte Aſpectus ad omnis generis Meteora quæ à Calore proveniunt, efficaciſſimè concurrit. Ventos & Tempeſtates procreat, ſed minus violentos, & noxios; & per vices & intervalla ſuccedentes. Pluvias in nonnullis præſertim Signis efficaciter producit, non lentas autem & juges, ſed repentinas & minus diuturnas quod hujus Aſpectûs videtur eſſe proprium; propter minorem Luminarium diſtantiam à ſeinvicem: minor enim Arcus, minus diuturnos producit effectus. *Unde* Sextilis *eſt* Quadrato minus efficax, & Quadratus Trino.

SExtilis *Secundus* frequentius producit Ventos Plagæ Borealis, quàm Occidentalis: è contra autem *Primus* plures Occidentalis, quàm Borealis.

In ſubjecto autem hic Schemate, vides ut in præcedenti, priorem ordinem, *Planetas* denotare; ſequentem, *Annorum vices*; ultimum *Pluviarum.*

✱ Primus.				✱ Secundus.			
♒	♈	6	4	♒	♐	7	5
♓	♉	7	5	♓	♑	7	7
♈	♊	8	6	♈	♒	8	6
♉	♋	7	6	♉	♓	7	5
♊	♌	8	8	♊	♈	7	4
♋	♍	7	5	♋	♉	8	8
♌	♎	7	7	♌	♊	8	6
♍	♏	7	5	♍	♋	7	6
♎	♐	7	6	♎	♌	7	5
♏	♑	8	5	♏	♍	7	7
♐	♒	7	6	♐	♎	7	5
♑	♓	7	6	♑	♏	6	5

XIV. *Lunæ*

XIII.

Lunæ Aſpectus Complicati *probè ſunt attendendi*; *ſæpè enim expertus ſum, pluviam oriri, etiam* Hiatu *non obſtante*; *cùm in Signo à duobus aut tribus Planetis occupato*, Luna *aſpexerit* proximum *ſibi è Planetis* Quadrato *Aſpectu*, & ultimum Trino.

Latitudo *etiam* Lunæ *eſt obſervanda*, & *ejus* περιγειότης; *nam veriſſimum eſt*, & *notatu digniſſimum*; Inundationes *omnes ſolito majores*, *extitiſſe* Lunâ *in* Perigæo *verſante.*

ET tu ſtudioſe Lector, *Lunæ* diligenter attendas; nam cùm Menſis ſpatio ſingulos Planetarum Aſpectus percurrat; tùm uniuſcujuſque eorum naturam exinde poſſis perſpicere: tùm Vim ejus ſtupendam cognoſcere & admirari, quâ motûs ſui pernicitate, & Vicinitate ad Terram, Aërem mirificè commovet, & variis modis immutat: & in [a] curſu ſuo menſtruo, quatuor Anni Tempeſtates imitatur.

[a] *Ptolem.* Tetrab. *Cic.* de Nat. Deorum lib. 2. *In Lunæ quoque curſu, eſt & Brumā quædam, & Solſtitii ſimilitudo.*

De Aſpectibus Solis *&* Mercurii.

☌ ☉ ☿

I.

Mercurius *ſit licet inter minores* Planetas, *eſt tamen magnæ efficaciæ ; ob vicinitatem ad* Solem *&* Terram, *motûs ejus varietatem, nunc velociter, tunc tardè means, modò ſtans, modò retrocedens ; & ob frequentes cum* Sole *congreſſus. Nec eſt dubitandum quin habeat peculiarem Corporis Fabricam, ad Radios* Solis *diverſimodè reflectendos, & aptè modificandos, licet minùs perſpiciatur, ob propinquitatem ejus ad* Solem.

MOtus ejus difficulter quidem ſupputatur ; & tamen frequenti experientiâ compertum eſt, Effectibus Meteorologicis, *Kepleri Calculos* accuratè ſatis reſpondere: tametſi Vir ille indefeſſæ diligentiæ, & curioſæ fœlicitatis, ſummo Veritatis amore ductus, ſe de illis nonnihil dubitare profeſſus fuerit ; quem utinam omnes imitarentur.

II.

Mercurius *eſt calidus* ; *quod præcipuè monſtrat, cum ſub radiis* Solis *latitat, in conſtitutionibus Aëris tranquillis & ſiccis.*

Ventos *quidem*, Pluviáſque quammaximè procreat; *idque* efficaciſſimè. Fulmen *quoque &* Ignita Meteora *producit :*

&

& plus ſemper poteſt in Statu Retrogrado, *quàm* Directo; quia tunc Terræ eſt vicinior.

Diligenter itaque advertant *Nautæ*, nec monitum ſuo damno contemnant, *Mercurium* in *Commovendis Tempeſtatibus quamplurimùm valere*, & cum Sole plus Lunâ poſſe. Licet enim *Conjunctio Soli-Lunaris* videatur pluviam & ventos *frequentiùs* movere, fit hoc tamen non *propriis uſquequáque*, ſed *ſociis Mercurii viribus*.

Notatu autem forſan non indignum erit, nec inutile, *Fulmen* à *Mercurio* maximè produci, in *certis quibuſdam diſtantiæ gradibus* à *Sole*; gradibus nimirum 2, 6, 8, 12, 14, 15, 17, 18, 20, 21, 23, 25, 26. poſt *partilem Conjunctionem:* idque tàm quando *ſubſequatur* Solem, quàm *præcedat*; præcipuè autem cum *præcedat*; quòd *tunc Aërem calidiorem reddat*.

A longâ autem retro antiquitate compertum eſt, & [a] Recentiorum Experientiâ indubitatâ confirmatum, *Mercurii* in Aëris mutationibus magnam Vim eſſe. [b] *Ptolemæus* ex *Veterum Obſervationibus* tradit illum ob Vicinitatem cum *Sole* & *Terrâ* nùnc humidum eſſe, nunc ſiccum, ſive ὑπόξηρον: nimirum quòd moderato calore, ἐξικμαστικὸς ὢν, Vapores *abſorbeat*, *reddatque*; unde etiam forſan ἐπίκοινος dici poſſit. *Celerrimas* quoque *mutationes* à humido ad ſiccum, ab illo fieri aſſerit, ideò quòd ſit quaſi πνευματούμενος à veloci ſuo cum *Sole* motu. [c] *Mercurius* quoque illi, *ex ſe & ex ſua naturâ, eſt omnium Planetarum maximus concitator & ſtimulator, ubi vires ſuas proprias illis addat, nec fortuitò admiſceatur. Ventos enim movet inordinatos, impetuoſos, & ſubitò mutabiles*; quòd veriſſimum eſſe ſæpè experti ſumus; licet in noſtro *Climate* ſæpius *Pluviam*, quàm *Ventos* producat, ſecus ac fiat in Regionibus iſtis calidioribus ſiccioribúſque. Quando *Solem præcedit*

[a] *Eſhucid.* Diſt. 4. cap. 7. *Kepler.* Ephem. 1617. p. 15. de Stellâ Novâ, p. 40. *Eichſtadii* Obſervat. Meteorol. *Kyriander* Reg. 5. pag. 103.

[b] Tetrab. 1. 4, 5, 6, 7. & 2. 9.

[c] Tetrab. 2. 9. ἰδίως δὲ προσθήκη τὰς δυνάμεως ὥσπερ γινόμενος, πάντας μᾶλλον συγκινεῖ.

cedit dicitur Flumina augere; quod certiſſimum eſſe novimus. *Fulmina* quoque & *Fulgura* nos etiam ſub hoc Aſpectu obſervavimus; & φλογμοὺς ſæpe vidit [a] *Germania*, natos ex concurſu *Solis* & *Mercurii*; quibus intelligimus, Cœlum Ardens, & ingentes Trabes nubiúmque dehiſcentium Globos ignivomos, quæ *Chaſmata* vocat *Keplerus*, reliquaque *Meteora Ignita*, vulgaribus ἀκοντισμοῖς minaciora. Terram autem movere *Mercurium*, ut optimè notavit *Ptolemæus*, infrà probabimus. Tanti certè eſt Antiquorum Effata temerè non rejicere! + d. 27. Mart. 1746. erat ☌ ☉ ☿. et illa ipsa nocte coelum ardens, c. aurora boreali.

[a] *Kepler.* An. 1617. *Febr.* 7. & 1626. *Jul.* 19. & 1629. *Oct.* 2. & 1623. *Nov.* 20.

De Aſpectibus Solis & Veneris.

☌ ☉ ♀

Venus *eſt Stella clara & illuſtris*, Homero κάλλιστος ἀστὴρ, *fulgido ſuo & diffuſo lumine Aërem quaſi perfundens*; *unde ſæpè dies* Candidos & amænos *procreat*, *Aërem* εὐάερον καὶ καθαρὸν Ptolemæo. *Et in* Statu *quidem* Deſtitutionis, *Aëris* εὐκρασίαν *producit*, & *ſerenitatem* μετὰ πλείονος τινὸς ἡδύτητος, *ut eleganti* Ptolemæi, *hac in re*, *Phraſi utar*; & *Frigori confert*, *quocúnque anni tempore*, *Hyeme etiam pruinæ*. *At cum reliquis Planetis ordine non interrupto poſitis*, & *debitè diſtributis conjuncta*, *violentos caloris effectus producit*: *idque maximè in* Diſtantiâ Platicâ, & Statu Retrogrado, *quia* tunc *ſit* Terræ vicinior quàm ipſe Mercurius. *Quin & ſub hoc Aſpectu Amnes frequenter creſcunt*, & *inundant*, *ſecundùm* Ptolemæi *obſervationem uſu confirmatam*; *maximè autem in* Elongatione ejus à Sole.

Graviſſimas

Graviſſimas quóque nonnunquam Tempeſtates excitat, & ſæpe cum Ventis Pluviam θρεπτικὴν ; unde γόνιμος *Antiquis nuncupabatur.*

ISTA tradit *Ptolemæus* Tetrab. 1. 4, 21. & 2. 9. quibus Obſervationes ſuas reſpondiſſe comperit, *hujus Artis Inſtaurator.* Notandum autem eſt *Venerem*, quando in *Statu Directo* quaſi junctim cùm Sole progrediatur per duas circiter ſeptimanas, frequenter efficere *Pluvias juges & continuas, nonnunquam per totum ipſius diei ſpatium. Quæ continentes pluviæ Veneri potiſſimùm debentur in Statu Directo* ; quòd *tunc motu æquali & pari ferè paſſu cum Sole procedat* ; nec ab illo *digrediatur* ut in *Statu Retrogrado*; aut *celeri motu feratur*, ut *Mercurius.* Erunt ſub *Veneris Dominio*, inquit *Ptolemæus*, ὄμβροι πολλοὶ καὶ γόνιμοι, & lætus inde fructuum proventus : quod confirmat Experientia, ſub circumſtantiis quas in Regulâ retulimus.

De Conjunctione Veneris & Mercurii.

♀ ☿

Iſti Planetæ licet reflexo tantùm illuſtrentur lumine, ſunt nihilominus valdè potentes ; quòd Terræ & Soli ſint Vicini, & Stationibus, motúque vario, diu aliquando, & ſæpè congrediantur. Unde in ſtatu *potiſſimum* Retrogrado, & Stationario *omnis generis Meteora, Tempeſtatúmque exceſſus producunt, quod Terræ tunc ſint Viciniores : Fulmina nimirum, Ventos, Pluvias Decumanas & Largiſſimas ; cum pari paſſu incedunt, continentes ; crebras autem & minùs diuturnas, quando concitatiùs feruntur.*

OPtandum autem eſſet, ut Nautæ locorúmque maritimorum incolæ Inundationibus magis obnoxii; *congreſſus mutuos Inferiorum Planetarum*, eorúmque cum *Sole Aſpectus* diligentius notarent. Nam complicati præſertim eorum *Aſpectus*, in *Æquinoctiis* potiſſimum, *Tropicis*, & cum *Stellis Fixis validioribus*; Horrendas Tempeſtates ſolent excitare, & ſtrages latè edere; idque potentiùs ſi debitè concurrant *tres Superiores Planetæ.* Nec habet tota *Aſtrologia*, reliquæve *Matheſeos* propagines quæ Demonſtrationes tantoperè crepant, certius effatum, aut utilius.

De Aſpectibus Martis *&* Solis.

☌ ♂ ☉

I.

Mars eſt admodum calidus; *&* vehementiores Caloris *effectus producit, quàm Inferiores Planetæ*: Violentia enim magis convenit Superioribus, propter motum eorum tardiorem. *Aſpectus etiam* Martis *cum* Venere *&* Mercurio *ſunt potentiores quàm Solares Aſpectus cum eiſdem*: quia illic *Solis* etiam virtus accedat, iſthic autem *Martis* calor deſit.

II.

Calor Martis *manifeſtè exinde deprehenditur, quòd etiam Aërem Hybernum calidiorum reddat*; *& gelu ſepe remittat reſolvátque*; *nec ad* Frigus *producendum concurrat niſi in* Statu Deſtitutionis, *aut* Debilitationis; *quando, ut naturam ejus*

ejus agnoſceres, *ſæpè* nebulam *inducit*; *quæ eſt* Teporis *indicium*; nebulas enim nec Æſtate, nec maximo Frigore exiſtere rectè obſervavit [a] *Plinius*. [a] Nat. hiſt. 2. 60.

Influentia autem ejus præcipua, & principalis, *ſaltem in noſtro* Climate, *conſiſtit in aptitudine ad producendum violentas* Tempeſtates & Pluvias.

III.

Oppoſitio Martis & Solis, *eſt* Frigidior Conjunctione, *non tantùm ob frigidiorem paulò naturam Oppoſitionis in genere*; *ſed quia tunc citiùs à* Sole *per* Retrogradationem *disjungatur. Tum quia dum* Soli opponatur, *ſit in Oppoſito* Hemiſphærio, *in* Statu Deſtitutionis, *procul à* Solis, *ejuſque Comitum conſortio*; *unde eſt minus calidus*, *licet in oppoſitionibns cum Sole*, *ſit* Terræ vicinior, *quàm in Conjunctionibus*: *quod ex* Martis Acronychi *Phænomeno apparet*; *quando eſt* Terræ vicinior *ipſo* Sole, *immò ſeptuplò propinquior quàm cum* Soli *conjungitur.*

Trinus poſterior, priori *violentiores edit effectus*: forſan quia paulò eſt Tardior.

Sextilis itidem prior Solis & Martis frequentiùs Pluviam *producit*; poſterior, violentius; *idque utplurimùm* poſt Meridiem; *cujus rei rationem expiſcantur peritiores.*

Sextilis tandem poſterior, *frequentius* grandinat *quam* prior: *an quòd tunc* poſt *Solem* Mars *oriatur?*

MARS à multâ retrò vetuſtate, Igneæ, Ardentiſque naturæ eſt habitus; quod ex colore ejus rectè colligit [a] *Ptolemæus*, & à Solis vicinitate. Hinc *Ardens*, *flagrans* & *minax Poëtis* dicitur; & Πυρόεις [b] *Platoni*, [c] *Ciceroni Rutilus Horribiliſque Terris*, Phraſi à *Platone* deſumpta, qui huic etiam Stellæ φόβους & σημεῖα attribuiſſe dicitur; nimiæ nimirum Siccitatis metum, Morborum & Peſtis. *Ptolemæus Martem* καυστικὸν eſſe judicat, & φθαρτικόν, propter Siccitatem ſuam, vitæ inimicam. Sub ejus *Dominio*, inquit, *erit*

[a] *Ptolem.* Tetr. 1. 4.
[b] *Epinom.*
[c] *Somnium Scipion.*

erit Conſtitutio Aëris Æſtuoſa, Venti calidi, & peſtilentes, καὶ συντήκοντα πνεύματα, id eſt, ni fallor, flatus æſtuoſiſſimi, nimiis ardoribus Corpora quaſi *liquefacientes*; quales Nautas ſentire in Portu *Sues*, ad *Sinum Arabicum*, memini me alicubi legiſſe in *Diariis Purchaſii* noſtrâtis. Et eſt quidem *Mars* ſiccioris aliquando Naturæ; *Diaria* enim *Meteorologica* conſulenti patebit Aſpectus *Martis* & *Solis*, plus ſiccitatis afferre, quàm *Solis* cum *Venere* aut *Mercurio*. *Ptolemæo* igitur *Alexandriæ* degenti, aliiſque ſicciorum regionum incolis, non multùm mirandum eſt ſi ob πολλὴν ξηρότητα tantoperè deprædicetur: at, ut verum fateamur, in noſtro *Climate*, Ventoſas, Pluviaſque Tempeſtates ſæpius producit quàm Siccas. Quod nec *Ptolemæum* latuiſſe video; qui etiam βροχὴν & πνευμάτων ἐκτίναξιν *Marti* adjudicat, non minùs quàm ἀνομβρίαν. Nam *contrarii Effectus uni atque eidem Planetæ optimè convenire poſſunt, prout ejus Virtus à reliquorum Planetarum acceſſu, aut receſſu, corroboretur, aut debilitetur*; ut ſæpe jam monuimus. Et *Siccitas*, utplurimùm provenit, à *nimiâ diſtantiâ*, aut *coarctatione* Planetarum.

De Aſpectibus Martis *&* Veneris.

♂ ♀

Iſte Aſpectus jucundum ſanè præbet ſpectaculum; at Caloris effectus omnis generis violentos producit, Pluvias nimirum, Ventos, Inundationes, & Diras Tempeſtates: immò & ſub frigido Cælo, calorem ſuum prodit, nebulas nimirum craſſiores efficiendo, & grandinem denſiorem.

Notandum

(1.) *Notandum autem eſt Aſpectus hujus operationem, ut obſervavit* [a] Eicſtadius, *ſæpe per continuos aliquot dies durare, cùm Planetæ ſint curſûs propemodum æqualis.*

(2.) *Aſpectûs Platici vim præcipuam eſſe in* tempeſtatibus, *ad decem præſertim* graduum *diſtantiam*; *in* Fulgure *autem, ad ſeptem.*

(3.) *Ventum non moveri vi hujus Aſpectûs, à calidiori ad frigidiorem plagam, ſed è contrà.*

[a] Pædia Ephem. pars 1. p. 41. è *Keplero* ad Sept. 1617

Aταξίαν πνευμάτων, καὶ τῶν κεραυνῶν, & Ignes è Cœlo delapſos *Marti* tribuit [b] *Ptolemæus*; & *Arabes* communiter *Apertionem Portarum* ſub hoc Aſpectu fieri aſſerunt: quâ Phraſi (ab *apertione Catarractarum Cæli* in *Diluvio Moſaico* deſumptâ) [c] *Intelligunt pluvias, ventos, nubila, grandines; nives, & omnes imbres ſecundum naturam Planetæ cui aſcribitur hujuſmodi adminiſtratio.*

[b] Tetrab. 2. 9.

[c] *Eſchuid.* Tract. 1. Diſt. 2. cap. 9.

De Aſpectibus Martis & Mercurii.

♂ ☿

Iſte Aſpectus Pluvias quidem crebras producit, at interruptas, & per vices redeuntes, & eſt minus pluvius quàm Veneris & Martis *congreſſus. Ventos cum impetu movet, quod hujus Aſpectûs maxime proprium eſt: & propter* Martis *calorem nebulâ Aërem inficit, quæ eſt hujus Aſpectûs individuus comes.* Ventus *etiam* Subſolanus *iſtis Planetis concurrentibus frequenter ſpirat*; qui nebulam non raro comitatur. verum hoc deprehendi d. 5. Febr. 1745 in ✶ ♂ ☿.

De

De Aſpectibus Jovis & Solis.

♃ ☉

I.

Jupiter, *quantùm nos unquam Obſervationibus diligentiſſimis aſſequi potuimus, per ſe* Humiditati reſiſtit, & adverſatur: *nam minùs Pluviæ cadere ſolet, cùm reliquorum Planetarum agmen præeat, aut claudat.*

EX Recentiorum Obſervationibus compertum eſt, *Jovis* faciem rotundam quidem eſſe, at non perfectè orbicularem; nec politam ſed ſcabram & aſperam; & quatuor exiguis *Satellitibus* circumſeptam eſſe, ſuáſque habere phaſes Lunarium æmulas. A quibus *Satellitibus* antiquæ *Aſtrologiæ* periculum non imminere putavit * *Keplerus*, licet concurrant cum *Jove* per Aſpectum ad movendas facultates Sublunares: quod inſenſibilis eſſet differentia effectûs ipſorum ab effectibus *Jovis*. *Ptolemæo*, capitibus ſæpiùs citatis, eſt quidem *Calidus*, & *Humidus*, at moderatè; exſiccant *Jupiter* & *Venus* inquit [a] *Cardanus*; & *Jovem* etiam cum *Marte* in Hyeme, ad Teporem & Ventos Aërem diſponere, & ob Ventum Boreum interdum mediocre gelu producere teſtatur [b] *Eichſtadius*. *Jovem* autem Humiditati reſiſtere, & Caloris tantùm remiſſioris participem eſſe, non modò ex ejus diſtantia, ſed & ſequentibus rationibus ſuaderi poſſit 1°. quod *ſit Parens Aquilonis*, quod à [c] *Ptolemæo* obſervatum confirmat experientia. 2°. in *Statu Deſtitutionis* quando à reliquorum Planetarum configurationibus non

* Diſſertat. cum Nucl. Syd. p. 11.

[a] De Sept. Stellis Errat. c. 10.

[b] Pæd. Ephem. pars 1. pag. 40.

[c] *Ptolem.* 1. 21.

afficiatur ſerenitatem afferre ſolet; & ſub Cœlo nubilo pluviam ſæpè cohibere videtur; *Aſpectibus* enim *Jovialibus* ſæpè eſt tribuendum, quod pluvia hic loci largè defluens, parcius cadat in circumjacente vicinia. 3°. Obſervanti Aſpectus *Superiorum* cum *Luna*, facilè apparebit, *Jovem* exhibere plura Frigoris & Siccitatis indicia, quam ipſum *Saturnum.* 4°. Apertè conſtat *Jovem Nebulas* frequentiſſimè producere; quæ ſunt *Fuliginoſæ* & *Siccæ Exhalationes*, in quibus Vapor renitente *Jovis* Virtute impeditur nè in pluviam denſetur.

II.

Jupiter Soli *conjunctus, eſt Calidus; quòd tunc accedat diurnus Solis, reliquorúmque Planetarum cum* Sole *calor; & quòd* tardius *feratur in* Conjunctionibus *cum* Sole, *quàm* in Oppoſitionibus.

SIT licet *Jupiter* in ſe, & ſuâ naturâ minùs Calidus: συγκεράσει tamen & mixturâ Radiorum, Planetæ varios producunt effectus. Et forſan, ut ſemel hoc innuam, "*Quicquid ſub Jove Frigido accidit, non illius Naturæ Frigorificæ ſolummodò eſt tribuendum, ſed præcipue ejus debilitati, & deſtitutioni reſpectu reliquorum Planetarum.*

III.

Jupiter *igitur in Aſpectibus cum* Sole *reliquiſve Planetis, ſub circumſtantiis ad* Calorem *producendum requiſitis;* Fulmen *producit, ſæpè noxium; & Caloris effectus violentos admodum; niſi quando ſit in* ſtatu Deſertionis, *aut* Deſtitutionis, ob Hiatum, Coarctationem loci, *& reliqua ejuſdem generis.*

A *Jove* quidem [a] *Temperiem* eſſe, aſſerunt *uno ore Veteres*; & nihilominus neſcio quo pacto, à *Principibus Etruſcæ, Babyloniæque Doctrinæ viris, magnâ Cœli aſſectatione compertum fuiſſe* ſcribit [b] *Plinius*, *Jovem maximè fulmina jaculari.* [c] Φαέθων quoque olim appellabatur, quòd *urat*, non minus quam *illuſtret*: & ſi [d] *Scaligerum* audiamus, *Ægyptiorum Remphan*, eſt *Jupiter* Βρονταῖος; & vulgatus *Character*, ſive *Symbolum* quo *Planetam* hunc deſignare ſolent *Aſtrologi*, *Jovis Fulmen* refert. Quæ tamen minùs vera eſſe, docuit me tandem *Huetius Animadverſionibus ſuis in Manilium*, è *Kircheri Prodromo Coptico*, & è *Manuſcripto Codice Vettii Valentis*; quem in lucem edendo, utinam promiſſam olim fidem liberaret, Vir ille undiquâque doctiſſimus.

[a] *Cic.* de Nat.Deor. *Lucan.*l.10. *Plin.* Nat. Hiſt. 2. 8.
[b] Nat. hiſt. 2. 20, 52, 79.
[c] φαέθει. καίει, λάμπει. *Heſych.*
[d] In *Manil.*

De Aſpectibus Jovis *&* Mercurii.

♃ ☿

Jupiter *cum* Mercurio Ventos *quidem movet*; (*ſi modò reliqua concurrant quæ ad iſtiuſmodi ſtatum Aëris requiruntur*) *necnon* & Pluvias; *idque in parte Anni Æſtivâ, magis quàm Hyemali. Sæpè etiam obſervavimus*, Robiginem *accidere*, *ſub* Jovis *Aſpectibus præſertim cum* Mercurio, Sole, & Marte; *immo* & *Unicum* Jovem, *reſpicientem aliquam è* Fixis *notabilioribus*, Pleiadas *nimirum*, Hyadas, *aut* Caput Ceti, *poſſe fructuum* Siderationem *efficere.*

IN

IN *Ruſticorum* gratiam, *Siderationum* quas obſervaſſe nobis contigit, Catalogum hic dabimus; quæ potiſſimùm eveniunt *Vento Boreali flante*, *Subſolano*, aut *Euro-Noto*.

Anno 1652. *Jun.* 5, 6, 7, 8, 15, 16, 18.
Jul. 3, 4.
Anno 1653. *Jul.* 19.
Anno 1654. *Aug.* 1.
Anno 1655. *April.* 23.
Anno. 1656. *Mart.* 12. 18.
Apr. 24, 25, 26.
Maii 7. 12, 13, 14.
Jun. 13. 30.
Jul. 2, 5, 6, 7, 12.
Aug. 2.
An. 1657. *Mart.* 10, 22, 23.
Maii 14.

Sideratio tota è Cœlo conſtat, optimè inquit [a] *Plinius*: & *duo eſſe genera cæleſtis injuriæ rectè* notavit, quibus *Robigo* infertur; alterum à *Calore intempeſtivo*, putà à *Fulgure*, aut *Ventis adurentibus*: alterum à *Frigore*, aut *Pruinâ*, *quam perniciofiorem eſſe* dicit, *quoniam lapſa perſidet*, *gelátque*.

[a] Nat. hiſt. 17. 24.

De Aſpectibus Jovis & Veneris.

♃ ♀

Aſpectus Jovis & Veneris, *nullos non producunt Caloris Effectus*, *eóſque admodùm violentos*; *ſerenum tamen Aërem reddunt*, & *grato fulgore illuſtrant ſub frigidori Cœli poſitu*.

Notandum eſt; Jovem & Venerem, *immò* & Jovis *reliquos Aſpectus*, *ſæpè efficere Aëris* Statum varium & diſformem; *uno putà* & *eodem die Frigus producendo*, *Grandinem*, & *Fulmen horrendum*.

Aſpectus Multiplicati ſive Compoſiti *Jovis cum Inferioribus, ſunt admodum efficaces, & Tempeſtates utplurimùm graviſſimas, procreant. Tàm* varios, miróſque *effectus producit Radiorum* σύγκρασις. d. 22. Jul. 1744. tempestas horrenda in Silesia, Saxonia, Helvetia, erat d. 20 ⚹ ♃ ☿ et d. 22. ☽ in □ ♃ ☿ et d. 23. insequ. ⚹ ♃ ☉. cf. obs. meteorol. in d. 17. 8bris. 1745.

COngreſſus *Jovis* & *Veneris*, eſt Aſpectus omnium gratiſſimus, & pulcherrimus; & viſu non indignus, cum ſub Diei ſereni Exitum circa *Occidentem* ſe conſpiciendos præbent.

De Aſpectibus Saturni & Solis.

♄ ☉

I.

Antiquorum omnium conſenſu, quibus & ſuccinunt Recentiorum Obſervationes, Saturnus *eſt naturæ admodum* Frigidæ, & Siccæ, *propter diſtantiam à Sole & Terrâ : quam tamen magnitudo ejus compenſat, & forſan* * *Anſulæ, à recentioribus detectæ.* Tubi *enim* Optici *beneficio compertum eſt, illum non eſſe Corpus Simplex, ſed ex multis conflatum, & quinque* Satellitibus *cinctum, multiforme quoque, & non minus quàm* Luna, *Phaſium varietate notabile.*

* Vide *Helvetii* Cometogr. pag. 371, 372.

S*Aturnum* eſſe *ſidus gelidæ ac rigentis naturæ,* uno ore * omnes teſtantur, quà Antiqui, quà Neoterici. *Saturni Stella* eſt *Frigida* [a] *Poetæ* omnis generis literaturæ callentiſſimo. Et [b] *Lucanus, Figuli* perſonæ ſe accommodans, ex Veterum *Aſtrologorum* diſciplinâ, *Saturnum,* iſtis verſibus, graphicè depingens, illum *Frigidum* vocat.

* *Plin.* 2. 8. *Ptolem.* 1. 4. & 2. 9.
[a] *Virgil.* Georg. 1.
[b] Lib. 1.

——*Summo ſi Frigida Cœlo*
Stella nocens, nigros, Saturni, *accenderet ignes.*

Ubi colorem *Saturno nigrum* rectè attribuit; quem ſublividum & cinereum eſſe, vel oculi teſtantur: ut mirum eſſet, cur Φαίνων antiquis dictus fuerit, niſi [a] *Achilles Tatius* nos docuiſſet, illud κατὰ τὸ εὔφημον fieri. Eſt etiam illis *nocens*, quòd ſit *Frigidus*; quod vel ipſe *Servius* ad *Virgilium* adnotavit.

[a] In *Iſagog.*

I I.

Eſt autem ejus Frigus, *quantum nos aſſequi potuimus, non adeò acre ac Veteribus viſum fuerit. In* Signis *quidem* Hyemalibus *eſt valdè* Frigidus *ob maximam à Vertice diſtantiam: & nihilominus, ſub debitis caloris circumſtantiis, concurrit cum* Sole *ad* Fulmen *producendum, &* Fulgur, *quandoque noxium.* Ventos *quoque generat, & grandinem denſiorem, & pluviam frequentiùs quam nivem; quam tamen efficit, præſertim in* Platico Aſpectu quinque *aut* ſex graduum *cum* Sole. *Aërem quoque frequenter reddit nubilum & turbidum: quod à* Ptolemæo *obſervatum* Tetrab. 2. 9. *calculo ſuo comprobat doctiſſimus* Voſſius, *de* Idol. 2. 47.

[b] PTolemæus, *Saturno* ψύχη φοβερὰ attribuit: quocum conſentiunt Tota *Aſtrologorum* Familia, qui *Horrendum aliquid* ſemper à *Saturno* expectare ſolent. [c] *Epigenes* à *Chaldæis* edoctus, docet *Saturnum plurimum virium habere ad omnes ſublimium motus*; & natura *Ventoſum* eſſe, non minus quàm *Frigidum*; immò *cum in Radios Solis incidat,* aut *Martem conſentientem habeat, tonare & fulgurare.*

Ventos quidem illum movere, fatetur [d] *Ptolemæus*; & Fulmina ab illo fieri, obſervârunt [e] *Babylonii*, conſentientibus *Etruſcis*; & *Recentiorum* Experientiâ.

[b] Tetrab. 2. 9.
[c] *Senec.* Nat. quæſt. 7. 3, 4.
[d] Tetrab. 1. 21.
[e] *Plin* 2. 20, 52, 79.

De Aſpectibus Saturni *&* Veneris.

♄ ♀

I.

Iſte Aſpectus non eſt per ſe adeò violentus, ob utriúſque Planetæ calorem remiſſiorem : cujus quoque indicium eſt, quòd Ventos parcius moveat.

HInc autem argumentum peti poſſit, ad probandam *diverſam* Planetarum, Aſpectuúmque *naturam* : cùm non omnes Planetæ eoſdem effectus ; nec eorundem, eoſdem gradus producant.

II.

Obſervatione diligentiori compertum eſt ; Nivem, & pruinam ſæpiſſime concreſcere, ſub Conjunctione Platicâ Saturni *cum* Sole ; Partili *autem, utplurimùm, cum* Venere : *Quia* Sol *cum* Saturno, *utpote calidus, non niſi* obliquo *Aſpectu, Frigori concurrit* : Saturnus *autem* & Venus *utpote Frigidiores, vel* directis *Radiis hoc poſſunt.*

Quando reliquæ cauſæ concurrunt, earum calorem auget hujus Aſpectûs Tepor : pluviámque adeò producit ; præſertim in ſequentibus gradibus.

♉ grad.

♉	grad. 7.	♎	16.
♊	1.	♏	20.
	20.	♐	9.
♋	14.		24.
♌	3.		27.
	6.	♑	14.
	26.		17.
		♒	2.
			20.
		♓	9.
			27.

Grandinem *quoque generat*, Fulmen & Fulgur, *in Signis à* Tauro, *ad* Scorpionem, incluſivè.

Immò & Tempeſtates *graviores excitat concurſus* Saturni & Veneris; *præſertim ſi* Sol *in eodem Signo verſetur, aut non amplius uno alteróve ſigno disjungatur: aut ſi ſint in* Geminis, Sole *exiſtente in* Leone; *aut concurrant in* Leone, Sole *degente in* Libra. *Quo in caſu, Ventoſa Tempeſtas, nec vano augurio, præſagiri poſſit.*

De Aſpectibus Saturni & Mercurii.

♄ ☿

I.

Tenebroſum Aërem ſæpè producit iſte Aſpectus; Gelu quoque efficit eorum congreſſus; quòd in conjunctionibus cum Mercurio, Saturnus *ſit in* Apogæo *ſuo remotiſſimo. Videbimus quoque*

quoque, ſi paulò ſubtilius naturæ varietates perſequamur, Ventum Subfrigidum, Mercurii *indicium, hujus Aſpectûs Frigora ſæpè comitari; varium tamen ſubinde, & mutabilem, ut* Mercurii pernicitatem *agnoſcas; qui rariùs Ventos inconſtantes reddit, quando eſt* Tardior, *aut* Stationarius.

De Aſpectibus Saturni *&* Martis.

♄ ♂

Iſte Aſpectus eſt quidem ſuâ naturâ Frigidus, propter eorum diſtantiam à ſeinvicem, & à Terrâ; ideóque non ſemper cum violentiâ operantur, ſed placidum & temperatum Aërem reddunt; & nives atque gelu præſertim in Signis Hyemalibus *procreant: immò & quod valdè notandum, (ut agnoſceretur nos diverſas Planetarum naturas, non penitus neſcire) ſecundum* [a] *Veterem Obſervationem,* Imbribus detrahunt: *Inundationes enim minùs frequentes fiunt ſub hoc Aſpectu, quàm ſub Aſpectibus* Martis & Veneris.

[a] *Eſchuid.* Tract. 2. cap. 4. diſtinct. 4.

Fatendum tamen eſt, Saturnum & Martem, *quando reliquæ Caloris cauſæ concurrant, violentos admodum Effectus producere; pluviarum nimirum, Ventorum, Fulminis itidem, & Fulguris Tempeſtates noxias.*

Orbis Luminis horum Planetarum operatur ad gradus decem ſecundum Veteres Arabes: *unde triginta circiter aut quadraginta dierum ſpatium ſibi vendicant eorum Aſpectus. Nos tamen vires eorum ultra iſtos limites protendere non verebimur, ad* triginta *nimirum* graduum *diſtantiam: cum experientiâ conſtet, Planetas iſtos manifeſtè concurrere ad omnes notabiliores Effectus, qui intrà iſtud temporis ſpatium eveniunt.*

Iſti

ISTI Planetæ *Ptolemæo* ſunt φθαρτικοὶ & κακοποιοί, propter eorum ſiccitatem, Frigiúſque nimium : unde *Aſtrologis Infortunæ Majores* vocantur. Nec ſanè eſt diffitendum malum illos Aëris Statum producere, multiſque incommodis ſæpè Mortales afficere : iiſdem Effectibus, cum eiſdem Aſpectibus, recurrentibus ; unde poſt crebras Obſervationes eorum natura innotuit. Quin & Sapienti Rerum Ordinatione cautum eſt, (quò Planetarum natura melius innoteſceret) ut ſæpè poſt diram Tempeſtatem, *Mars & Saturnus* palàm conſpicerentur, vix ſummo extremorum digitorum ſpatio, à ſeinvicem diſtantes.

" Sunt autem *Tres Superiores Planetæ*, ut ſemel hoc " moneam, adeò Violenti ac Noxii ; quòd ob motum tar-" diorem, retrogradúmque, ſeriùs à ſeinvicem disjungan-" tur ; vímque adeò fortius uniant, & repetitis congreſſuum " vicibus Aëri intenſius imprimant. Effectuum enim *Violentia & Sævities* videtur *Superioribus* potiſſimùm convenire.

De Aſpectibus Jovis & Martis.

♃ ♂

Aſpectus iſte ab aliis Concauſis *minùs efficaciter adjutus, Hyberno, immò & non raro, Verno Tempore, Mane pruinoſum efficit : reliquorum ope, nivem fundit* Jupiter, *& pluviam frigidam, & acres ventos excitat ; & aliquando tonat, vel mediâ* Hyeme. Æſtate *omnis generis viciſſitudines violentas producit ; necnon &* Fulmen Terribile, *quod Superiorum* συσχηματιζομένων indicium eſt. *Nebulas*

☌ ♃ ♂. 9. 26r. 70. ♃ ♊ ventum acrem [illegible] et calorem intensum efficit

+ d. 28. 8br. 1760. erat ✶ ♃♄. et ipsa hora congressus, ventus immanis.
d. [illegible] Aug. 1762. ☌ ♃♄. c. vento acerrimo.

Nebulas quoque frequenter, eáſque ſæpè fœtidas *producit : crebrâ enim experientiâ conſtat, Conjunctionem* Jovis, *cum ullo Planetâ, Aërem* Nebuloſum *reddere.*

SPectaculum ſanè non injucundum exhibent duo iſti Planetæ, cum in Cœlis conſpiciantur ſub mediocris tantùm intervalli diſtantiâ : *Jove* lumen clarum & fulgidum diffundente ; *Marte* interim, intrà Globi ſui Centrum æſtuante. Radiorum autem adeò diverſorum σύγκρασις, mirandos Effectus producit : quibus præcipuè confert motus eorum tardior, quo fit ut ægrè divellantur, & in *Statu Retrogrado*, non niſi poſt duas tréſve Oppoſitiones.

De Aſpectibus Saturni *&* Jovis.

♄ ♃

Frigidi ſunt & ſicci ob maximam eorum diſtantiam à Terra : ideóque ſæpè Frigus acre & immane procreant ; & cum Frigore & ſiccitate Vapidum Aërem, nebuloſum, & fæculentum, quod Jovi *eſt admodum ſolenne, præſertim in Congreſſibus cum* Saturno. *Ubi reliqua juvant, ad omnes caloris Effectus violentiſſimos concurrunt ; Fulmen ſiccum & Fulgur ſine tonitribus ſæpè producunt ; quòd ſicciorem horum Planetarum naturam ſatis arguit. Adverſatur enim* Jupiter *Humori, & pluviam impedit : & ſicciores Exhalationes largiùs ſuppeditando, flammæ plus juſto reſiſtit ; ita ut fulgure erumpente,* Stridor *quidem fiat, at non* Boatus.

Vis Superiorum *Planetarum eſt tanta, ut ad* Diſtantiam *Triginta* Graduum *operentur : ideoque* Platicus *Aſpectus hic ad longius quoddam ſpatium eſt extendendus, quàm vulgo fiat :*

fiat: quòd, ut benè monuit Keplerus, *de eorum momentis minutis ipſa Aſtronomia incerta ſit.*

SUpremorum *Planetarum Vim immanem*, quaſi digito præmonſtrâſſe videtur natura, quod eorum Congreſſus ad tot annorum intervalla diſtulerit; nè Res Sublunares nimis commoverentur, ſi ſæpius concurrerent. Tardum quoque Motum Sortiti ſunt, & quaſi Majeſtate quadam Verendum: ita ut quà acceſſu, quà receſſu à ſeinvicem non niſi unius aut alterius; immò nonnunquam nè quinque quidem Annorum ſpatio, ita penitus à ſeinvicem disjungantur, ut virtus eorum communicari non poſſit: quæ cum in *Luce*, & *Cœleſti Calore* conſiſtat, eſt vivida adeò, & ſpirituoſa, ut momento temporis longè diffundi poſſit. Et certè tantus ille Motuum apparatus, & diverſitas, non de nihilo fit; cùm *Natura nihil fruſtrà faciat*; nec Motus ullus *ſui* tantûm gratiâ fiat, ſed in *alterius* alicujus *effectûs* productionem, & in *Univerſi beneficium*; *Deo* ita ordinante, ut *Sapientia* ejus ex *Finium* conſideratione melius eluceſceret.

Dum ſub prælo ſudarent hæ Chartæ, monuit me *Medicus* doctus, & humaniſſimus, ſe crebrò obſervâſſe, Aquam in *Aëroſcopio* ſuo (quâ, eáque communi repletum eſt) aſſurgere ſub mutuis *Saturni*, *Jovis*, aut *Mercurii* aſpectibus *inter ſe*, aut cum *Marte*, *Sole*, & *Venere*: quin & *illos* quoque Planetas, præcipuè autem *Mercurium*, excitare *nebuloſas humidáſq;* particulas; *hos* autem, *Humidos* Vapores in Aërem elevare, pluviâ fœtos; Planetis, diverſis Radiationum ſuarum Operationibus, diverſos Vapores attrahentibus. Frequenter quoque notâſſe ſe aſſerit, Aquam Aëroſcopii ſui *aſſurgere* Planetis tranſeuntibus *Frigida* Cœli loca; *deprimi* autem, per *Calida* meantibus: immò & quod mirandum, in *Æquilibrio* per unum alterúmve diem ſe continere, *Stantibus* Planetis.

De Viribus Fixarum, & Zodiaci Partibus.

XV.

Planetæ in Potentioribus Zodiaci Locis *collocati, fortiùs operantur, in* Debilioribus, *debiliùs : quod* Poſitionem Potentem, & Debilem *nuncupabimus.*

CErtiſſimum eſt, approbante quotidianâ experientiâ, Planetas in nonnullis Signis, & Gradibus plus poſſe; in aliis minus. Hinc [a] ὑψώματα & ταπεινώματα Planetarum, eorúmque λαμπῆναι, θρόνοι, & id genus reliqua : quibus ſignificatur Virtutem eorum à Stellis nonnullis augeri, ab aliis minui ; unde δύναμιν ἰσχυροτέραν ἢ ἀσθενεστέραν, ſortiuntur *Ptol. Tetr.* 1. 27.

[a] *Ptolem:* Tetr. 1. 13. ſub. fin. & 1. 22, 23, 26.

XVI.

Stellæ *enim* * Fixæ, *non minus quam* Planetæ, *ad Viciſſitudines Caloris & Frigoris conferunt.*

* *Cardan.* in *Ptol.* 1. 8.

Et *Calorem* quidem producunt,

1°. M*Agnitudine ſuâ*; Stellæ enim *Majores*, plus Lucis habent, & Caloris Nativi. Hinc [b] *Ptolemæus* ad Majores, & Splendidiores tantùm Stellas potiſſimùm reſpiciebat; quas λαμπροτέρας καὶ διαπρεπεστέρας appellat (*Tetrab.* 2. 13.) Habent autem Fixæ Lucem innatam, eámque acutam admodùm, & penetrabilem, quæ cum ad nos uſque

[b] Præfat. in Inerrant Stellar. ſignif. à Feder. Bonaventurâ

res Sublunares mirè afficit & movet; & cum [a] *Majora ſint Aſtra quam Luna; quidni & Majores quandóque Effectus producant?* [a] Cardan Segm. 1. Aph. 54.

2°. *Multitudine. Stellæ* enim *Crebriores*, modò ſint majoris aliquantum magnitudinis; & loca Cœli *Aſteriſmis Calidioribus* conſita & referta, potiſſimùm ubi denſo ordine incedant, nec intervallis nimis hiantibus; Calorem inſigniter procreant: unde & Æſtas Hyeme calidior; quòd Sol tunc cum Fixis calidioribus jungatur. Hujuſmodi autem Stellarum gregem ſeu ordinem, *Agmen* cum *Favorino*, apud [b] *Agellium* nuncupabimus. Notandum autem eſt: [c] *Teleſcopii* ope, *Plures Stellas in Cœlo deprehenſas fuiſſe & circa quamlibet earum alias complures, & minores diverſæ magnitudinis, claras tamen, radiis ſuis diſtinctas, & Majores circumdantes, maniſeſtè apparere.* Et obſervavit [d] *Hevelius* triginta & tres Stellulas in Aſteriſmo *Aquarii* antea non obſervatas; & viginti & duas in *Piſcibus* detexit *Galilæus Orioni* octoginta adpoſuit; *Pleiadibus* triginta & ſex, quas ad quinquaginta alii auxêre. Immò *Antonius de Rheita*, referente [e] *Ricciolo*, in ſolo *Orione* numeravit Stellas quaſi bis Mille. Quapropter exorandi ſunt illi, apud quos *Hevelii* Scrinia delitefcunt; ut ejus *Catalogum Fixarum* ederent, quem omnes *Aſtrophili* efflictim expetunt: nec diutius ſinerent *Kepleri Manuſcripta*, auro contra cariora, cum blattis & tineis luctari.

[b] A Gell. 14. 1.

[c] Hevel. Selenogr. 33. 34.

[d] Hevel. ibid.

[e] Almag. Tom. 1. Pag. 413.

3°. *Ratione loci & ſitûs reſpectu Eclipticæ, Tropicorum, & Æquinoctiorum.* Quæ enim ſunt in ipſâ *Eclipticâ* fortiores ſunt, quia omnibus Planetis, atque ipſi Soli junguntur, & quò minorem habent latitudinem, eò ſunt robuſtiores. Vicinitas etiam Stellæ ad Tropicos & Æquinoctia eſt valida ratione ſitûs; & Aſtra ibidem poſita σημαίνει inquit *Ptolemæus*. Tetrab. 2. 8.

Frigus autem *Cœleſte* provenit

1°. A Stellis minoribus; quæ minus habent Caloris.

2°. Loca Cœli in quibus *Stellæ pauciores* occurrunt; aut *Congeries minutiſſimarum Stelluarum*, qualis in *Galaxia* cernitur; videntur eſſe *Frigida.*

3°. *Loca Fixarum vacua ſunt omninò Frigida: quia Luce & Calore deſtituuntur.* Interſtitia præſertim ſive Intervalla laxiora inter Aſteriſmos, quæ juxta Polum Borealem ſunt frequentia, videntur etiam quaſi Viam Frigori aperire, ut à Polis præcipuis ejus Fontibus, per Aërem diffundatur, ad *Mediæ Zonæ* æſtum temperandum. Sanè, ἀμυδροὶ ἀστέρες, & loca ἄναστρα, quæ κυάνεα vocat *Aratus*, *Cærulea Manilius*, *huic* etiam ſunt *Frigida*, *Aſtronomicorum* libro primo.

4°. Stellæ quò remotiores ſunt ab *Eclipticâ*, *Equinoctiis* & *Tropicis*, eò ſunt debiliores.

5°. *Stellæ Nebuloſæ* habent Vim inſignem in Aëris mutationibus; quod vel *Pleiades*, & *Præſepe* ſatis monſtrant. [a] *Ptolemæus* quidem notavit *Significationes* tantùm Stellarum *primæ* & *ſecundæ* magnitudinis, reliquáſque rejecit quòd Obſcuriores eſſent minoréſque; cùm putaret Lumen (cujus ſolius ope Stellas agere credidit) ſplendidius tantùm, eſſe efficax. At cum hoc experientiæ apertè repugnet, fatendum cum [b] *Cardano*, *Stellas majores & clariores, effectus quidem habere manifeſtiores*; neque tamen reliquas eſſe negligendas: *Quæcunque enim inquit lentius operantur, diutius protrahunt effectus ſuos*; *neque enim deliteſcere vis ſideris poteſt nec aboleri: indicat autem hoc Nebula circa Aſinos:*

[a] Præfat. in lib. de *Inerrant.* ed. Fed. Bonav.

[b] Segm. 1. Aph. 53, 55.

συςεϛρὴν nebuloſam denotans quæ *Præſepe* vocatur. Et [a] *Aratus* quidem *Præſepe* diligenter ſpeculandum eſſe docet; cujus præcepti memor, *Uranophile*, iſtiuſmodi νεφελοειδῶν Vires & effectus diligenter perſpicias; nec operam, audacter ſpondeo, uſquequáque perdes: ſunt enim naturæ efficaciſſimæ: ſeu hoc, *ſi modò per cauſas naturam quærere fas eſt*, earum numero [b] confertiſſimo in arctius ſpatium concluſo ſit tribuendum; ſeu peculiari earum figuræ quæ in Radiis diverſimodè ſpargendis multùm poteſt. Deprehendit autem [c] *Maria de Rheita* Teleſcopiis ſuis majoribus, Stellas eſſe diverſæ figuræ & pluribus faciebus atque angulis terminatas; quod ad lucem variis modis ſpargendam, & ad Sublunaria diverſimodè afficienda factum fuiſſe, nullus dubito.

[a] Σκέπτεο ϰ̀ φάτνην. *Ptolem.* Tetr. 2. 14. & 3. 17.

[b] *Parvo glomerabile ſidus.* Manil. 4.

[c] Ricciol. Almag. Tom. 1.

6°. Aliquæ forſan è Fixis, Terræ ſeu Atmoſphæræ particulas Frigidas, commovent & irritant. Quales forſan ſunt *Nebuloſæ* in *Fronte Capricorni*, quatuor *Informes* circa *Piſces*, Stellæ *circa ſecundum gradum Cancri*, aliæque quas *Frigidorum Planetarum* Characteribus Veteres inſignivêre. Sunt enim, ut obſervavit [d] *Eſcuidus*, in *Cœlo quædam partes quæ ratione Stellarnm Fixarum in eis exiſtentium, ſignificant nives*, & Frigora: immò & in *Sicco Fulmine* producendo Planetæ conjungi videntur cum *Fixis Crudis & Frigidis*, non minus quàm *Calidis*. Ut enim *Lux denſior* ſeu *craſſior Calorem* gignit; ſic *rarior*, & *tenuior*, videtur eſſe aliqua ſaltem *Frigoris* cauſa: quod tamen pace Philoſophorum dixerim.

[d] Pag. 120.

Vexatiſſima quidem eſt Quæſtio, *unde*, & *quid ſit* Frigus; de quâ nolo ſubtilius λεπτολογεῖν; paucis iſtis, quæ jam monuimus, contentus. Vero quidem proximum mihi videtur (nam Veritatem ſibi arrogent alii) *Particulas actu Frigidas* in primâ Mundi conditione, rebus non minus infuſas fuiſſe,

quàm

quàm *Calidas* : quæ, quòd commotæ, Impetum, licet minorem faciant, & ſubtiles ſint atque agiles, *Spiritus Frigidi*, à Magno *Verulamio*, alicubi vocantur. Quales habet *Salnitrum* (quod *Primum Frigidum* eſſe volunt nonnulli Recentiores) Plantæ, & Herbæ benè multæ, Acetum, aliáque quorum aſpergine loca calidiora quaſi Spiritu quodam perfuſa refrigerantur. Particulas autem iſtiuſmodi activas eſſe, & poſitivas, ex eo videtur conſtare; quòd ſint aliquarum rerum Partes conſtituentes; quòd poros corporum penetrent, & contrarias qualitates expellant; quòd acriter pungant, & corrodant, unde *Frigus adurere* dicatur; & ex eo quod Hominum Membra putreſcant, Frigori immodico expoſita. *Debiliores* autem *Lucis Radios*, Spiritus iſtos Frigorificos commovere, exinde forſan ſuaderi poſſit, quod Noctes maximè Lucidæ ſint maximè Frigidæ; & quod Aër ſæpe *paulò ante Lucem* ſit *frigidior* quàm *mediâ nocte* : Luce, Spiritûs ſui vivifici moderato calore particulas Frigidas fortiùs irritante. Quin & *Aurum quoque* (quod me nuper docuit doctiſſimus [a] *Voſſius*) *circa diluculum frigidius eſſe dicitur : eóque qui aureum digito annulum geſtat, inde valeat cognoſcere quando dies exoriatur.*

[a] De Idol. 6. 5.

XVII.

Licet Singuli, Eclipticæ præſertim Gradus, ſint ad pluviam producendum idonei *&* capaces, *non tamen ſunt omnes* æquè diſpoſiti : *ſed ſunt loca quædam in Cœlo paulò inſigniora quæ reliquis magis* Hyemant, *Cœlumque Turbidum & Pluvioſum plerúmque reddere ſolent ; quæ* Loca Cœli Turbida, *ſive* Hyémalia *vocabimus.*

EOrum autem Catalogum aliquot Annorum experientiâ confirmatum hîc exhibemus.

Loca

Loca Cœli Turbida, ſive Hyemalia.

	♈	♎	♉	♏	♊	♐
		1	3	3	2	2
	4	3		6	4	8
		5	10	10		13
Circa		10	14		15	
gradum.	11	12	17	17	17	16
	13			19	19	18
	18	19		21	21	20
	22	22	24	24	26	26
	26		27	29	28	28

	♋	♑	♌	♒	♍	♓
	1		0	0	0	0
	6	4	3	3	4	4
		7	5	5	12	11
Circa	13	13	9	8	14	14
gradum.	16		13	12	17	16
	19	19	16	15	21	19
		22	23	18	24	22
	25	26				
			27	27	27	27

Circa gradum iſta fieri dicimus, quòd ſub quolibet gradu, ejus antecedentem ſubſequentémque Gradum complectamur. Iſtiuſmodi autem Zodiaci Gradus, vocantur à Barbaris *Arabum Filiis*, *Putei Planetarum* : & in Veterum Græcorum, Romanorúmque Ephemeridibus notantur *χειμάζειν σφόδρα*, Ἐπισημαίνειν, ſive *Significare* : quòd uti Columella notavit. *ſidera Tempeſtatem faciant* ; *interdum tam-tummodo*

tummodo ſignificent : quanquam vox iſta in Calendariis communiter uſurpetur pro ipſâ Aëris mutatione, teſte *Ariſtole* (Problem. Sect. 26. Probl. 13.) τὸ δὲ ἐπισημαίνειν ἐστὶ μεταβολὴν ἀέρος ποιεῖν. Notandum inſuper eſt, ut prudenter monuit [a] *Ptolemæus, Gradus iſtos non ſemper eſſe efficaces, ac ſine ullâ varietate, ſed utplurimum, & quatenus nulla aliarum cauſarum, quæ plures ſunt, reluctatur.*

[a] Præfat. in Inerrant. Stell.

XVIII.

Aſpectus Planetarum cum Fixis, Appulſúſque earum ad Medium & Imum Cæli, probè ſunt notandi; non minùs quàm diverſi earum ortus & obitus, qui in Veterum Calendariis adeò frequentes occurrunt.

NOS autem omiſſis iis quæ Veteres, Recentioréſque de hac re latiùs tradidêre, proprias tantùm Obſervationes, ſequentibus Propoſitionibus breviter proponemus.

(1°.) *Conjunctiones* Planetarum cum *Fixis Zodiacalibus* potiſſimùm ſunt ſpectandæ; præcipuè autem *Solis* cum Stellis *Eclipticæ* quòd in ipſâ motûs ejus orbitâ verſentur, & ab iis *Naturalis* cujuſque Diei *Conſtitutio* ſit petenda.

(2°.) *Oppoſitiones* Planetarum cum *Fixis* ſunt valdè efficaces: quod *Mercurio* aut *Lunâ* validè *Pleiadas* opponente, quiſque experiri poſſit. Quod etiam de reliquis Aſpectibus meritò forſan ſit dicendum, licet ipſe hoc nondum expertus ſim; cùm ab *Iatro-Mathematicis* agnoſcatur Vis *Quadrati Aſpectûs cum Fixis*, in *Diebus Criticis*.

(3°.) Appulſus ipſarum per ſe Fixarum, multo autem magis cum Planetis junctarum, ad *Horizontem* & *Meridianum*

num ſunt efficaces. Tempeſtate enim ſæviente Ventus gravius debacchari ſolet, oriente aut occidente *inſigniori* aliquo *Aſteriſmo* ; *Tauro* putà, aut *Orione*. Quod etiam de reliquis appulſibus aliquommodò intelligi poſſit.

(4°) *Ortus Fixarum Coſmicus* eſt Validus, ſub ipſum quidem Tempus Emerſionis earum ſupra *Horizontem*; poſtea autem ſunt minoris momenti ; quòd multo antè Solem occidant, & mox poſt ortum diverſâ quaſi Viâ incedant Sol & Fixæ quæ cum illo oriebantur: ſecus ac fiat in *Occaſu Acronycho*, in quo Stellæ Planetam quaſi comitantes cum illo occidant.

(5°) Stellæ etiam , *Auſtrales*, *Borealéſque Horizontis* partes ſtringentes non ſunt negligendæ ; nam cùm ſegniter moveant, & *Horizontem* (cujus vim magnam eſſe omninò fatendum eſt) ſtringant ; in Tempeſtatum ſævitie augendâ, & continuandâ multùm poſſunt.

XIX.

E Veterum Calendariis, & Recentiorum Obſervationibus conſtat Dies quoſdam Certum & Determinatum Statum Aëris utplurimùm *obtinere: quod non tantùm* Soli *eſt tribuendum, ſed &* Stellis Fixis, Zodiacalibus *præcipuè, quibuſcum* Sol *Singulis diebus conjungitur.*

EJuſmodi Dierum Catalogum, ut Veterum Obſervationes prætereamus, è Recentioribus hîc attexere, non erit omninò inutile.

(1°) Ipſe [a] *Picus Mirandula*, infenſus Aſtrologiæ hoſtis, fatetur nonnullos Dies meritò apud ſuos *Italos*, ob Tempeſtates Marinas infames eſſe; cujuſmodi ſunt *Febr.* VI. XII. XV. XVII. XIX. XX. *Mart.* I. VII. XV. XVII. XIX. XXV. *April.* II. V. VI. XII. XX.

[a] Contr. Aſtrol. l. 3. c. 13. pag. 482.

K (2°) Dies

(20.) Dies quidam apud *Belgas* pluviarum atri & infames ſunt, inquit [a] *Fromundus*, & præcipuè quartus *Julii*, quem S[ti.] *Martini Bullientis*, aut *Pluvii* appellant. Quales etiam apud nos *Anglos* ſunt; *Jun.* VIII. XXIV. XXVIII. *Jul.* XXII. *Aug.* XXIV. *Oct.* XXVIII. XXIX. *Nov.* V.

[a] Lib. 5. cap. 6.

April. XXV. XXVII. *Maii* I. apud noſtrum vulgus ſunt infames ob *Siderationem* & *Ventos Segetibus noxios*: Jul. XX. ob *Fulmen*, & S[ti.] *Matthiæ* Feſtum. ——*Glaciem frangit, ſi invenerit illam*, &c.

Immò ſunt nonnulli Dies quos *Criticos* appellant *Ephemeridum* ſcriptores; in quibus nempe vulgus *judicare* ſolet de ſequentium aliquot Dierum Statu; quales ſunt *April.* V. *Maii* XXV. *Aug.* XV. XXIV. *Febr.* II. XXII. *Jul.* II. XV. *Nov.* XI. de quibus vide *Origanum.* Introduct. in Ephem. par. 3. cap. 6.

Vulgares autem *Rhythmi*, & Ruſticorum *Diverbia*, quibus certorum Dierum Status quaſi per manus traduntur, non ſunt prorſus deridenda; nam *Fabula habet aliquam Veri mixturam*, inquit *Fromundus*; & quæ *Sæpe*, immò *Utplurimùm* eveniunt, probè ſunt notanda.

XX.

Fixarum Stellarum qualitates, & Dodecatemoriôn Zodiaci proprietates, deſumuntur à [b] Ptolemæo, *à ſimilibus Planetarum Naturis & Facultatibus, quibus earum Effectus reſpondiſſe experientiâ animadverſum fuiſſet.*

[b] Tetrab. 1.9,10,11. & 2. 12.

CUjus rei Tabellam hîc apponere forſan non erit inutile: ubi Fixæ ſub iſtis Planetis ponuntur, quorum Facultates æmulantur.

♄ ♃	♃
Stellæ in Geminorum Femor.	*Eridani ultima.*
Aſteriſmus Ceti,	
& Eridani.	

♂	♀
Stellæ in pede Ariet. poſt.	*Stellæ in Caudâ Arietis.*
Aldebaran.	*Aſteriſmus Andromedæ.*
Cornu Tauri.	*Et totus Aſteriſmus Canis Maj. præter Sirium.*
Hercules, ſive Pollux.	
Aſteriſmus Urſæ Majoris.	

☿

Stella in Geminis, quæ Apollo, *ſive* Caſtor *vocatur.*
Totus Aſteriſmus Engonaſi, & Deltôton.

♄ ♃	♄ ♂	♄ ♀	♄ ☿
In pede Sagit.	*Caput Ariet.*	*Sect.* ♉.	*Os* ♈.
♑ *Caudâ.*	*Leon. Cap.*	♏ *Caud.*	*Hyades.*
Flumine ♒.	♍ *Chelæ Med.*	♐ *Caud.*	*Cancri Chelæ.*
Lin. Bor.	♏ *Front.*	♑ *in Ore.*	*Tres Colli* ♌.
Cepheus.	*Dracon. Stell.*	*Urſa Min.*	♌ *Cauda.*
Perſeus.	*Lucid.*	*Caſſiep.*	*Vindemiat.*
Orion. Lucid.	*Serp. Ophiuchi.*	*Ophiuch.*	♒ *Humeri.*
Argo Lucid.	*Delphin.*	*Sagitta.*	♒ *Manus dextr.*
	Corvus.	*Hydra.*	*in Fronte,*
	Lupus.		*& in Femore.*
			♓ *Auſtral. Cap. & Caud.*
			Linum Auſtr.
			Bootes, Lepus,
			Corona Auſtral.

♃ ♂

Cor ♌.
Antares, ſive *Cor* ♏.
in Arcu & *Armo* ♐.
Sirius.
Arcturus.
Aquila.

♃ ♀

♓ *Borei Cauda* & *Spina.*
Centauri Fig. Human.

♃ ☿

♏ *Chelæ Extrem.*
♐ Εφαπτίς.
♓ *Auſtralis Corpus.*

♂ ☉

Aſelli.
Nebuloſa in ♐ *Facie.*

♂ ♀

Spica.
♑ *Cornua.*
♑ *Pedes* & *Venter.*

♂ ☿

Stell. in Ocul. ♋.
♍ *Caput.*
Ala ♍ *Auſtral.*
♏ *Aculeus.*
Lini Nodus.
Nebuloſæ in Capulo Perſei.
Auriga.
Equus.
Procyon.
Orion. Humeri.

♂ ☽

Pleiades.
Præſepe.
Nebuloſa ♏.
♐ *Cuſpis.*

♀ ☿

♊ *Pedes.*
♌ *Femora.*
♍ *Cingulum.*
Corona Borea.
Lyra.
Cygnus.
Crater.
Ara.
♓ *Notii roſtrum.*
Centauri Figura Humana.

♀ ☽

συςροφὴ *ſub Caudâ Urſæ Majoris, quæ nunc,* Cononis adulatione, *Coma Berenices.*

Suſpiciones

Suſpiciones Coſmicæ,

De Fixarum Viribus.

PArticulares *Fixarum* Vires ab omni retrò Antiquitate creditas, & per manus traditas, conſervavit nobis Magnus *Ptolemæus*, in minore ſuâ Συντάξει, quam Τετράβιβλον vocavit. Doctrinam hanc ex [a] *Veterum Obſervationibus* ſe hauſiſſe diſertè aſſerit; quorum, Chaldæorum præſertim Ægyptiorúmque *ab antiquo Traditionibus, Scriptiſque* multa refert accepta, Tetrab. 1. 23. Solebant enim Veteres pro primorum *Chaldæorum* more, (à quibus artes iſtas ad *Ægyptios*, *Græcóſque* primitùs manâſſe veroſimile eſt) *Tabulas* in publicis Civitatum locis, preſertim in Templis *affigere*, quæ exinde *Parapegmata* vocabantur; quibus non *Planetarum* modò (intra quos tamen ſtetiſſe *Chaldæorum coctiles laterculos* teſtatur alicubi *Ptolemæus*) ſed & [b] *Fixarum*, *Ortus*, & *Occaſus*, *Significatúſque* notabantur; ab Ortu *Zonæ Orionis* initium ſumendo, & in Ortu *Pedum* ejus, ipſiúſque *Sirii* deſinendo: quòd Nautis ob Tempeſtates eſſet maxime notabilis, inquit *Theon* [c] *Alexandrinus* ad Arati Διοσημεῖα; vel potius ob admirandas, quas credebant, *Caniculæ vires*; unde *Ægyptiorum* Annus à *Cancro* incepit, quòd propè illum *Sirius* degeret. Sed utcúnque hoc fuerit: conſtat Obſervationes iſtas non *unius ætatis*, nedum *hominis* eſſe, ſed *Sæculorum* ad minimum aliquot anteactorum; cum vix minori ſpatio perſpici poſſint tot Aſtrorum Vires; præſertim in Peſtibus, Terræ-motibus, & ejuſmodi effectibus producendis, qui ſummi Conditoris miſericordiâ minùs frequenter evenire ſoleant. Licet autem hanc *Antiquorum* Doctrinam paucis capitibus à Ptolemæo, preſsè, & pro more ſuo, dilucidè com-

[a] ὅλως ἐν ταῖς τῶν ἀστέρων δυνάμεις, καθ' ἑαυτὰς οἱ παλαιοὶ παρετήρησαν. Tetrab. 1. 11.

[b] Vitruv. 9. 7.

[c] In v. 20.

complexam; quaſi *Cæleſtis Philoſophiæ Epitomen* ſæpè mirari ſoleam; tùm quòd tot numero Stellas in *certas claſſes* redegerit; tùm quòd earum vires mirâ ſolertiâ diligentiáque inveſtigatas tradiderit: neſcio tamen quo modo ſæpè compertum eſt, ut Eventus huic Doctrinæ non omni ex parte reſpondeant. Non meum eſt, rem hanc multis difficultatibus implicitam operoſiùs indagare; nec certò definire utrum ex *Climatum*, *Temporúmque diverſitate* quibus Obſervationes factæ fuerint ortum duxerit; an ex non ſatis debitâ animadverſione *motûs Fixarum* εἰς τὰ ἑπόμενα; quo neceſſe eſt ut Temporum decurſu, Stellæ paulò diverſas ſortiantur Facultates, reſpectu diverſi earum ſitûs ad Polos, Æquinoctia, Tropicos, & Eclipticam, quibus earum vires intenduntur, aut remittuntur. Certè [d] *Stadius*, Vir Doctus, re hac ſagaciter animadverſâ, *Fixarum proreptantium* Ἀστερισμοὺς, & *Dodecatenoriôn qualitates*, ad *ſua Tempora accommodare* aggreſſus eſt, quibus fatetur ſe *vires earum expertum fuiſſe*, à *Ptolemei præceptis alienas*. A quo Viri acutiſſimi *Commentario*, Recentiores ferè omnes placita ſua mutuari ſolent; nec pari tamen ſucceſſu; quòd ſpreto prudenti ejus monito, *aliena* ſine diſcrimine arripere mallent, quam *ſua* ex *propriis Obſervationibus* condere; quod niſi fiat, Ars iſta quam minimos faciet progreſſus. Præter Doctrinam autem de *Fixis* in Τετραβίβλῳ traditam hodiéque etiam ſuperſunt quædam *Veterum Parapegmata*; quorum rudera & tanquam ex naufragio reliquias, collegit *Petavius* in *Uranologio ſuo*; & doctiſſimus [e] *Uſſerius* noſtrâs, integra *Gemîni* & *Ptolemæi Parapegmata* ex optimis *Savilii* Codicibus nobis exhibens, quæ mutila & minùs correcta ediderat *Petavius*; additis inſuper ex *Aëtio*, & *Plinio* Obſervationibus non contemnendis *Chaldæorum*, *Græcorumque*; ſepoſitis tamen quæ ullibi occurrebant *Ægyptiorum*, *Romanorumque* Ἐπισημασίαις. Et *Arati* quidem Διοσημεῖα ab ipſo integra peti poſſint; reliqua autem è *Ptolemei*, & *Petavii Hemerologiis*, & *Commentario Federici*

[d] In Tab. Bergens.

[e] De Anno Macedonico.

rici

rici Bonaventuræ Vrbinatis, qui *Verum Ptolemæum*, (nam *Lennici Ptolemæus* merus planus eſt) Latinè integrum vertit, & Scholiis illuſtravit. Iſta *Veterum Calendaria* nobis quidem uſui non contemnendo eſſe poſſint, ſi modò integra exſtarent; aut nobis ad manum eſſet *Savilii*, aut *Vſſerii* Codex *Ptolemæi* MSS. quem penes *Dodwellum* noſtrâtem eſſe intelligo; Virum doctrinâ non minùs quàm pietate inſignem; cui multum debent humaniores literæ, multum priſca Fides, & rigidum honeſtum. In Animo quidem mihi erat *Veterum Hemerologia* ad noſtra tempora accommodare: at re meliùs perpensâ, ſtatim deſtiti; quòd *nimis magnum ſtudium, multámque operam in res obſcuras, atque difficiles, eaſdámque minùs neceſſarias conferre nollem*; quod [a] *Cicerone* judice eſt vitium in Veri cognitione aſſequendâ quam maximè vitandum. Gnarus inſuper [b] *Plinium* olim conqueſtum fuiſſe rem hanc *obſcuram & ancipitem fuiſſe*; etiam cum plurima librorum ſubſidia exſtarent, quæ nunc Temporum injuria intercidêre. Rei per ſe ſatis operoſæ, *difficultatem addidiſſe ipſos Auctores* veriſſimè notavit *Plinius*; *tm diverſis in locis obſervando, tùm in iiſdem diverſa prodendo.* Et cùm inter *Aſtronomos* nondum convenerit de certa quantitate motûs Fixarum εἰς τὰ ἑπόμενα, déque Cæleſtis Gradûs, Menſis, Annique ratione & menſurâ, Gentes adeò inter ſe diſſenſerint; nec Hominum, & quæ exinde ſequuntur Locorum, Temporúmque Obſervationes, in *Calendariis* ſatis diſtinguantur: citius quidem inter *Horologia*, quàm inter Veterum *Parapegmata* conveniet. Nè tamen Ars iſta *Veterum* Teſtimoniis & Fide uſquequáque deſtitueretur, aliquas *Antiquorum* Obſervationes ad noſtram Ætatem accommodatas in operis progreſſu nonnunquam in medium proferam; quòd inde ſi non fructum, at voluptatem non minimam Lectorem ſperarem reportaturum; dum illas à noſtrâ *Hypotheſi* non *omninò abhorrere* animadverterit. Et certè non levem exinde voluptatem is percipiet, qui Cœlorum

Sche-

[a] De Offic: 1. 6.

[b] Nat. hiſt. 18. 25. *Ptolem.* Almag. 8. 6.

Schematiſmos, & Fixarum ſitum, ad ea Tempora accommodare cognoverit, in quæ Tempeſtates inciderint, quæ in Antiquis Hiſtoriis, Veterúmque Calendariis occurrunt. Si cui autem libeat Veterum *Calendaria* cum fructu conſulere; is rectè diſtinguat *Auctores* inter ſe, eorúmque *Ætates*, & *Climata* quibus Obſervationes factæ fuerint; & ad *Calendariorum Æquinoctia*, pro Methodo ab *Aſtronomis*, & *Chronologis* traditâ, tanquam ad *Epocham* certiorem animum intendat: quòd ſint κοσμικόν τι πρᾶγμα, ut prudenter no-
[a] In Epid. 1. tavit [a] *Galenus*, cùm menſes ſint uniuſcujuſque Gentis proprii. Hac methodo ritè adhibitâ inveniet forſitan (nam ipſe qui Calculi labores ægrè fero, rationibus meis minus confido) Calendarium *Gemini*, Obſervationeſque quas ab *Ægyptiis* ſumpſit *Ptolemæus*, Chriſti ἐνσάρκωσιν præcedere Annis circiter 500; ex *Æquinoctio*, quod ibi notatur incidiſſe in diem *Martii* 26. *Columellæ* autem Calendarium antegredi *Domini Natalem* Annis plus minus 300; Obſervationes denique ab *Aëtio* traditas, (nam illius propriæ non ſunt) factas fuiſſe 200 circiter Annis ante Chriſtum: quòd hujus *Æquinoctium* in *Martii* 23 incidat; illius autem in 24 ejuſdem Menſis.

[b] Tetr. 2. 12. Et ſi *conjecturæ* locus detur haud à vero abhorrebit Obſervationes in [b] *Tetrabiblo* traditas, *Domini* ætatem *aliquot ſæculis* præceſſiſſe; ex eo quod *Aries* tonitruoſus eſſe ſtatuatur, διὰ Παρουσίαν ἰσημερινὴν, ob *propinquitatem* ad *Vernum Æquinoctium*; quâ voce *Vicinitas* ſignanter denotatur, non Θέσις ſive *Poſitio*. Unde conſtare videtur iſta ab *Aſtronomis* obſervata fuiſſe, cum *prima Arietis* haud procul diſceſſiſſet à Verna συναφῇ; quæ *Ptolemæi* ætate verſabatur circa gradum ſextum ejuſdem Signi; & Annis 400 ante *Chriſtum* circa ſæculum *Hippocratis*, qui floruit non multò ante *Metonem*
[c] Almag. Tom. 1. pag. 471. & *Eudoxum*; ſecundum Calculos [c] *Riccioli*, anteriores erant quàm nunc, gradibus circiter 48. Sed nolo iſta minutiùs ſectari, cùm videam *Aſtronomos* de Stellarum μετάπτωσει inter

inter ſe multùm diſſentire; de quâ re conſulat Lector minùs exercitatus *Petavium*, *Ricciolum*, & [a] *Edvardi Bernardi* noſtrâtis Epiſtolam perquam eruditam; qui Linguarum, & Scientiæ copiâ complures Mortalium poſt ſe relinquit. Licet autem *Rationes Chronologicæ* ſint admodùm incertæ, Veterúmque Calendaria *Veros Cardines* aliquot diebus *anticipent*; nec eorum Obſervationes uſque adeò exactæ fuerint, ſed in Ruſticorum gratiam, & ad populi captum inſtitutæ, ut [b] *Geminus* notavit: non tamen ideò ſunt penitus contemnendæ, ſed ſuos habent uſus non prorſus ſpernendos, ad hujus Artis jucunditatem, immò & utilitatem promovendam.

[a] Philoſ. Tranſact. Societ. Anglic. Vol. 14. Num. 158.

[b] Iſag. cap. 15.

Fixarum Vires Planetarum qualitatibus accommodat *Ptolemæus Tetrabibli* primo; & ſecundo poſtmodùm libro, (doctrinâ forſan ab *Hipparcho proximè* acceptâ) duodecim *Signorum* Facultates tradit; non reſpectu nudi cujuſlibet *Dodecatemorii*, (cujus per ſe, nulla, quod ſciam, vis eſt) ſed quod diſertè [c] aſſerit, καθὼς ἡ τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων ἔχει φύσις, pro *natura Stellarum quæ in ſingulis Dodecatemoriis ſitæ ſunt*: quæ cum *Aſteriſmis* à Veteribus confundi, probat [d] *Petavius*, Animadverſionibus in *Uranologium* ſuum.

[c] Tetrab. 2. 12.

[d] Pag. 73.

Non eſt dubitandum, quin Veteres optimo conſilio *Fixarum* virtutes ad *ſimiles Planetarum Facultates* reduxerint: quas ex *conſimili colore*, & ex Planetarum viribus auctis ab eorum appulſu ad cognatas ſibi Stellas, collegiſſe viſi ſunt; non minùs quàm ex propriis earum *Mediationibus*, *Ortu vario*, *Occaſuque*. Quod ſi *plurium* Planetarum Facultates, eáſque *contrariæ* admodum naturæ, frigidæ nimirum calidæque, uni atque eidem Stellæ nonnunquam attribuant: id nullo modo *contrariam ejuſdem rei naturam arguit*, ſed tantùm *diverſos operandi modos*, ortos ex diverſimodâ Radiorum mixturâ, & modificatione; varióque concurſu reliquarum Cauſarum ſociarum. Fixæ enim non ſunt Cauſæ mutationum Aëris *Totales*, ſed prout *diverſa Cæli Facies fuerit*, *di-*

verſos etiam edunt Effectus. Quæ cum ſint propemodum infinitæ; hinc tantæ molis eſt *Stellarum naturas* indagare; quòd *Varios* immò & *contrarios* Effectus producant; eademque Stella & frigida ſit & calida, non ex *ſuâ naturâ*; ſed prout ejus Calor, à reliquarum Cauſarum Cœleſtium *vicinitate augeatur*, aut *deſertione minuatur*. Et hinc eſt, quòd Veteres *Pleiadibus*, & *Præſepi*, *Martis* & *Lunæ contrarias* Facultates aſſignaverint; *Sirióque* tàm *mitiores Jovis*, quàm *violentos Martis* effectus attribuant; quòd Experientiâ edocti fuerint, *Pleiadas Frigus acre* nonnunquam producere, non minùs quam *Calorem*, & *Tempeſtates*; *Siriúmque* non *quolibet Anno* inſanire.

[a] Aphor. Segm. 1. Aph. 21. Segm. 5. Aph. 180.

Putavit quidem [a] *Cardanus*, *Mixtiones Syderum ac vires, inter illa eſſe, quæ nec ſcientur, nec ſciri poſſint*: at cum illum *rectè agere* pronuntiet, *qui cum vera via in Arte nondum nota ſit, Antiquorum dicta fideliter recitet*: nos *Ptolemæi* Doctrinam prius proponemus, & illuſtrare atque confirmare conabimur, proprias ſubinde Obſervationes unicuique Capiti ſubjungentes. In anteceſſum autem ſequentia annotâſſe non omninò abſonum videbitur.

(1°.) Fixarum, & Dodecatemoriôn virtutes à *Ptolemæo* traditas præcipuè quidem, at non ſemper ad *Solem* in illis commorantem referri; ſed ad *reliquos* etiam nonnunquam *Planetas*. *Scorpius* enim rarò *nivoſus* eſt *Sole* ibidem degente, quod aſſerit *Ptolemæus*; qui tamen ſæpè ningit, ad *aliorum Planetarum* appulſum.

(2°.) Notandum eſt *Veteres*, ubi *Planetarum eorundem* Virtutes *pluribus ſimul* Stellis attribuant, illum Planetam præponere Solere, cujus Naturâ Stella iſta *maximè gaudeat*; id eſt, à [b] quo virtus ejus augetur, aut in quo ſimilis invenitur συμπάθεια ἢ κοινωνία. Sic notat *Ptolemæus Aquarii* Humeros Characteribus ♄ ☿ ejus autem

[b] Ptolem. 1. 26.

Femora

Femora ☿ ♄ ; *Mercurium* hîc *præponens* quòd Stellæ iſtæ propiùs ad ejus naturam accedant.

(3°.) *Veteres* in Stellarum virtutibus aſſignandis videntur tantùm reſpexiſſe ad *unam* aut *alteram* è *Clarioribus, Inſignioribúſque* Aſteriſmi cujúſque Stellis : neglecto interim toto reliquarum Stellarum *Agmine* , quibus *confertim* & *ordinatim* incedentibus, Effectus potiſſimùm ſunt tribuendi. Sic quæ Antiqui *uni Sirio* attribuunt, *Totius Cohortis junctis viribus* non minus ſunt adjudicanda.

(4°.) Veteres videntur penitus neglexiſſe Fixarum Stellarum *Oppoſitiones* ; quæ tamen videntur eſſe maximi momenti in *Re Meteorologica.*

De Particularibus Fixarum, & Partium Zodiaci Viribus.

♈

ASteriſmus *Arietis* juxta *Ptolemæum* eſt totus in Tonitruis & Grandinibus efficiendis διὰ τὴν ἰσημερινὴν Παρουσίαν: unde tunc erat magis tonitruoſus, quàm noſtra ætate, quâ in *Conſequentia*, à *Commiſſurâ Æquinoctiali* longius proreptaverit. Partes ejus *anteriores*, comprehendentes Stellas in *Capite*, naturæ *Martis* & *Saturni*; & eas quæ in *Ore*, *Mercurio* permultùm ſimiles, *Saturno* autem moderatè; dicit efficere Ventos & Pluvias; Pluviam quidem propter *Martem*; Ventos autem propter *Mercurium*, quo nihil eſt magis Ventoſum.

Mediæ Aſteriſmi partes, illi ſunt Temperatæ; quòd Stellæ rariores ibi appareant: *Poſteriores* autem, quibus aſſignat Stellas in *pede poſteriore*, naturæ *Martis*; eáſque quæ in *Caudâ*, facultatis *Venereæ*; καυσώδεις eſſe dicit, & λοιμικός.

Boreales partes ſunt æſtuoſæ, & noxiæ, propter plurimas ibi Stellas, naturæ *Saturni*, *Martis*, & *Mercurii*. *Auſtrales* autem ſunt glaciales & ſubfrigidæ: forſan quòd minima pars hujus Aſteriſmi ibidem ſita ſit, quæ & *Ceto* imminet, cujus Stellas dicit eſſe frigidas.

Iſta eſt *Ptolemæi* doctrina ab Antiquis recepta; at cum *Fixæ* omnes promotæ ſint in *Conſequentia*, non poterit eadem nunc planè rátio eſſe quæ eorum temporibus erat: ideóque & *Obſervationes noſtras* iſtis ubique adjiciemus; partes *Zodiaci* notabiliores, ordine percurrendo.

Dodecatemorium Arietis, in noſtro *Climate*, Ventos quammaximè *ſignificat*; *priores* autem hujus *ſigni* gradus, ſunt

ſunt capaces omnis generis Violentiæ, propter *Interſectionem Æquinoctialem*, quæ vel ratione ſitûs eſt turbida.

♈ 2, 3, 4.) *Gradus Pluvii & Ventoſi:* propter *Oppoſitionem* Plurimarum Stellarum in *Librâ*, quibuſcum *culminat Coma Berenices.*

♈ 5, 6.) Iſti gradus ſunt communiter calidiores grad. 22, & 23. unde conſtat caloris incrementa non uſquequáque deberi altitudini Solis. Immò & ſunt aliquantùm nebuloſi.

♈ 12, ad 19.) *Dies communiter turbulenti.* Propter Stellas in *Lino*, ab *Eclipticâ* ad *Equinoctium* pertingentes, opponentes quaſdam eodem penè ſitu in *Aſteriſmo Virginis* collocatas: necnon & *Spicam Virginis* ejúſque Comites, præcipuè *Adjacentem Ariſtæ Borealis* in ipſa *Eclipticæ* orbitâ ſitam. Unde gradus 18 eſt maximè notandus, in quo cum Sol degeret, apud *Ægyptios* erat ἀνεμώδης κατάστασις, ob occaſum *Spicæ Veſpertinum. Ptolem. de Apparent. Martii* 17.

♈ 20, ad 23.) Frequenter *Ventum Frigidum producunt*; ratione *crudarum Stellarum* in *Lino Piſcium*, & quòd obliquè reſpiciant *Spicam*, & alias complures Stellas, unùm circiter gradum *declinantes* ab Æquinoctio; unde quaſi à mixturâ quadam Frigoris & Caloris Ventus *Frigidus* oritur. *Sub iſthoc etiam Tempus Ægyptiis erat Frigidus Ventus* ad *dies decem. Ptolemæus.*

♈ 25.) *Gradus turbulentus, noxius, & calidus, qui & interdum fulgurat.* Hîc enim σύνδεσμος, *quem Veteres ſoliti cæleſtem dicere Nodum*, utriuſque *Piſcis Caudas* conjungit, unde *Plinio Commiſſura Piſcium* vocatur; & *Arato* eſt ἀστὴρ καλός τε μέγας τε.

♈ 27,

♈ 27, 28, 29.) *Efficaciter ſignificant.* Culminat *Nodus*; Stellæ in *Ariete*, *Tropico accedunt*; quibus opponuntur crebræ Stellæ in Aſteriſmo *Virginis*. Movent autem maximè *Ventos Frigidos*, *Orientales* nimirum & *Occidentales*.

♉

TOtus iſte *Aſteriſmus* juxta *Ptolemæum*, ἀμφοτέρας ἔχει τὰς κράσεις, *Frigoris* nimirum nonnunquam, non minùs quàm *Caloris*, licet ex ſua naturâ ſit *ſubcalidus*, ὑποθερμός. *Anteriores* ejus Partes complectentes quatuor aut quinque Stellas in ἀποτομῇ, *Veneris* κρᾶσιν potiſſimùm obtinentes, mediocriter autem *Saturni*; concitant Terræ motus, nebulas & ventos, maximè circa *Pleiadas*. *Mediæ* partes, humectant & refrigerant. *Poſteriores* quæ ſunt circa *Hyadas* igneæ naturæ, tonant & fulgurant; maximè autem ſplendida illa & rutilans Stella, quæ λαμπαύρας illi nuncupatur; niſi ſit Vitium *Librarii*, pro λαμπαδίας. Partes *Boreales* illi ſunt Temperatæ, *Auſtrales* autem ἄτακτοι, nunc calidæ nimirum, nunc frigidæ; & κινητικοὶ, id eſt, Ventorum motrices; quod eſt veriſſimum.

♉ 8.) *Pluvius*, & *Ventos calidos movens*, maxime *Occidentales* & *Auſtrales*. *Culminant* complures Stellæ in *Ceto*, parum ab *Æquinoctio diſtantes*; unde forſan Venti *Occidentales*; cum *Æquinoctium Orientales* moveat. *Centaurus* ἀντιμεσουρανεῖ, qui circa *Auſtrum* degens, Ventos forſan *Auſtrales* excitat.

♉ 10.) Dies incertus, ſæpè frigidus.

♉ 16,

♉ 16, 17, 18.) *Sol* cum Stellis in Cauda *Arietis*, *Ventos* & pluviam *ſignificare* dicitur.

♉ 21.) Ab hoc die *frequens eſt pluvia* ſub & poſt meridiem. ἀντιμεσουρανοῦσιν Stellæ in utróque *Lance* juxta *Eclipticam*: & poſt *Solem*, Meridianum tranſeunt *Pleiades*, *Hyades*, aliæque Stellæ illuſtres Verni Quadrantis. Globum compone & rem videbis.

Quoniam autem totus Arcus Zodiaci ſit pluvius, & turbulentus à *Pleiadibus* ad *Hyadas* uſque; hîc de illarum Stellarum *ſignificationibus* & *natura* paulò latius diſſerere non erit omninò alienum.

Pleiades ſunt obſcuriorum Stellarum συςροφὴ conſertiſſima, non è ſex aut ſeptem tantùm Stellis conſtans; ſed ex quinquaginta ad minimum, *Teleſcopii* beneficio, ut diximus, detectis: unde Πλειάδες nomen primitus inditum, quòd è *pluribus* conſtaret. Eſt tamen Aſtrum *Effectu* magis, quàm *Viſu* inſigne; cujus Vires ab omni antiquitate notæ fuêre & decantatæ. Inter Stellas inſigniores numeratur à *Sacris Scriptoribus*, ſub nominibus *Chîma*, &. *Succoth Benôth*; ejuſpue *Influentias* deprædicat ſcriptorum antiquiſſimus [a] *Job*; quibus & *Maria* turbari credidêre, *Gentes omnes*, *omniſque Ætas*, *Judæorum*, *Græcorum*, *Romanorúmque*. Sub *Pleiadum occaſu* mare periculoſum eſſe obſervavit [b] Stus. *Lucas*, in accuratâ ejus deſcriptione navigationis Sti. *Pauli*; Vimque Ventorum quos excitant, vitare Nautas jubet *Heſiodus*; & Mercatorem *Cleonicum* plorat *Theocritus*, quem circa occaſum *Pleiadum* mari periiſſe queritur, in arguto *Epigrammate* quod integrum primus edidit Doctiſſimus [c] *Grævius*. *Poetis Romanis* eſt *Stella Imbrifera*, *Madida*, *Nivoſa*, *Auſtri*, *indomitarúmque Undarum concitatrix*; & *Grex timendus ratibus*, *ac Ponto*.

[a] Job. 38. 32, 33. *Notæ in Ulugh Beigh.*

[b] *Act. Apoſt.* 27. 9.

[c] In *Heſiod.* cap. 15.

Nec

Nec ſunt iſta laſcivientis ingenii luſus, ſed clariſſimæ, certiſſimæque veritatis manifeſta veſtigia, per ſæculorum decurſus deducta; & è Veterum *Aſtronomorum* Ἐπισημασίας deſumpta. Neque enim [a] *Poëta* ſolus *flebili Carmine* queritur ſe *jactatum* fuiſſe *Hyadum ſævis aquis*, *nimboſis Hædis*, & *minaci Steropes* ſidere: ſed graves *Philoſophi*, & inſignes *Mathematici*, *Meton*, *Democritus*, *Eudoxus*, *Hipparchus*, *Ptolemæus*, diligentiſſimi Naturæ Exploratores, & accuratiſſimi Cœlorum Speculatores, eadem obſervârunt in *Parapegmatum* reliquiis ad nos tranſmiſſis. *Parapegma Ptolemæi* exhibens [b] Aſtrorum φάσεις ex proprio Calculo, ἐπισημασίας autem ex Veterum Tabulis; notat ab *Ægyptiis* & *Eudoxo*, *Aëris perturbationem & inconſtantiam* fuiſſe diebus 14, 15, 16. menſis *Aprilis*: quod ex ortu *Pleiadum* contigiſſe putamus, quæ tunc in *Alexandrino Horizonte* aſcendebant cum Sole, circa *Aprilis* 15; Sole tunc exiſtente circa *Arietis* gradum 19, & *Lucida Pleiadum* poſitâ circa gradum 24 ejuſdem *Signi*. In Columellæ Calendario *Ventoſa Tempeſtas eſt*, & *Imbres*, Aprilis 14; qui reſpondet Arietis grad. 21; *Lucidâ Pleiadum* tunc exiſtente circa 26 Arietis; hoc autem *non conſtanter* fieri notat; quod *Ægyptiorum Obſervationi* reſpondet, quibus tunc erat ἀκαταστασία, καὶ ὑετία. Quin & *Geminus*, huic arti tantopere infenſus, notat ex *Democrito*, ad 13 Arietis, *Pleiades* tunc cum Sole aſcendere, & Pluviam fieri *Eudoxo*: & *Aëtius* [c] *Amidenus* Medicus inſignis, *Tetrabibli* capite 164. poſtquam obſervâſſet *Aërem variè à Stellis mutari juxta tempora à Deo ipſis ordinata*; & *Sanorum Corpora, multò magis Ægrotorum, juxta Aëris ſtatum alterari*; neceſſarium quoque duxit Tempora ortûs & occaſûs earum indicare: ubi inter alia notat ad Aprilis 21. *Pleiadas tunc cum Sole oriri, & maximam exinde circa Aërem fieri turbationem*. *Aëtius* quidem vixit *Juliani* ac *Valentiniani* temporibus, at *Calendarii* ejus Obſervationes factæ fuere Æquinoctio in *Martii* 23. commiſſo; cùm Lucidâ *Pleiadum* verſabatur

[a] *Triſt.* 1. 10.

[b] *Uſſer. de Maced. Anno*, cap. 6.

[c] *Petav. Uranolog.* pag. 421. in Notis.

batur circa *Arietis* gradus ultimos, & oriebatur cum *Arietis* 25. Sex diebus poſt ortum cum *Sole*, *Pleiades*, cum *Sole* occidunt ; circa quod tempus [a] *Ægyptii* notant *Ventos cum imbre tenui*, *Grandines* & *Zephyrum*, *Cæſar* autem & *Eudoxus* (cujus *Faſtibus* multum debuit *Julianum Calendarium*) *Pluviam* : *Columella Pluviam* , & *nonnunquam Grandinem* ad *April.* 21. Iſtis *Veterum* Obſervationibus conſentiunt *Recentiores*, [b] *Stadius* nimirum, & ipſe *Keplerus*, qui ad *April.* 1. 1625. fatetur *Venerem* vicinam *Pleiadibus* aliqualem cauſam fuiſſe diuturnæ Commotionis quam *Lincii* obſervaverat. Ex diligenti autem Annorum multorum Obſervatione, nobis compertum eſt ; *Pleiadas* ex naturâ ſua habere quid *Mordax* & *Aſperum* ; unde *Figus acre*, & *Ventos aſperos* procreant : Morbidorúmque Corpora quaſi *pungunt* & *vellicant*, Humores Spiritúſque irritando. Calore quidem *remiſſiori* ſunt præditæ, unde *per ſe* nebulas tantùm procreant ; cùm autem reliqua potentius concurrant, calores augent, ſed noxios : adeò verum eſt quod *Ptolemæus* notavit ; *Tauri* Aſteriſmum utrumque Temperamentum præ ſe ferre, Caloris nimirum & Frigoris ; ſub *Nubilo* etenim Cœlo pluviam aut Ventos denuntiat, ſub *Sereno* Frigus acre.

Sol in *Conjunctione* cum *Pleiadibus*, minùs valet quàm in *Oppoſitione* ; quòd illic *obliquè* tantùm *Pleiadas* reſpiciat, ad quatuor penè graduum diſtantiam ; hîc autem illas *rectioribus Radiis* feriat, & irritet. *Mercurius* autem *Pleiadas* ex adverſo reſpiciens plus *Sole* poteſt, & Ventos validiſſimos excitat, Terræ motus Fulmen & Fulgur : ut non immeritò *Mercurium* ex *Maiâ* genitum, *Steropenque* unam ex ſeptem Sororibus fuiſſe fabulata ſit Antiquitas. Cùm autem *Sol*, *Venus*, aut *Mercurius*, potenter cum *Pleiadibus* junguntur ; diligenter notet *Uranophilus*, *appulſum Lunæ*, *Martis*, aut *Saturni*, ad *Oppoſitum Zodiaci* locum, & mecum fatebitur, Stellas eſſe tempeſtuoſas : quarum vi *Aquæ ſubeunt in imbres*,

[a] *Ptolem.* de Inerrant. ἀ-σημώδεις (?) κα-κάς.

[b] Tab. Bergenſ. pag. 202.

bres, Aër denſatur nubibus, & *furit procellis.* Non enim *Vergilias in cœlo notabiles caterva tantùm fecerat*, ſed inſignes omnis generis effectus: paucæ enim ſunt Tempeſtates *ante lucem* Menſibus *Octobris* & *Novembris*, quibus *occaſu* ſuo *Coſmico* non conferant; nec *Aprili* & *Maio* ſub *Veſperam*, quibus *occaſu* ſuo *Acronycho* non concurrant; tanti eſt vel earum *approximatio* ad *Horizontem.*

Imbres faciunt Suculæ, quas Græci ob id Pluvio nomine Hyadas appellant, inquit [a] *Plinius*; licet aliter ſentiat *Tyro* apud *Gellium.* Obſervavit *Aratus* ejúſque *Scholiaſtes*, *Tauri* Aſteriſmum eſſe fulgidum, & ex ſuâ Formaturâ, nec ex aliarum Stellarum tantùm vicinitate notum, ut *Aries*, ſydus paulò obſcurius. Splendida *Hyadum*, primæ magnitudinis in *Oculo Auſtrino* vulgò vocatur [b] *Al Deberân*, quæ vox Stellas *quæ à Tergo ſunt* propriè denotans, huic tamen quandóque *peculiariter* tribuitur. *Romanis* eſt *Parilicium* (nam ita libros omnes etiam & MSS. *Plinianos* ſcribere aſſerit doctiſſimus [c] *Harduinus*) quod *ſub eo ſata, arbores, & herbas parere* crederent. Licet autem ſua naturâ eſſet ſydus pluvium, neſcio tamen quo pacto, *ſuæ Urbi Mars* adeo favit, ut *Civitatis ejus natali ferè ſerenitatem redderet* Stella iſta [d] *Martis* naturam colore & effectibus referens. Eſt enim [e] *Sydus vehemens, & Terrâ Marique Turbidum*, ut veriſſimè obſervavit *Plinius*, quod Veterum, Recentiorúmque experientia abunde confirmat. *Ptolemæus* ad *Aprilis* 30, & quatuor priores dies *Maii*, notat *Stillantem imbrem* fieri, *Corum vel Zephyrum*, *Pluviam & Ventoſam Tempeſtatem* apud *Ægyptios*, conſentientibus *Eudoxo, Euctemone* & *Calippo.* Quos dies ad hunc *Aſteriſmum* referri debere, ex eo conſtare arbitror; quòd *Antares*, Stella præcipuæ ex *Hyadibus* diametraliter *oppoſita*, ibidem oriri dicatur Veſperi die tertio *Maii.* *Columellæ, ad Kal. Maii Auſter ferè, cum Pluviâ; Auſtrimus dies, interdum pluviæ; & Tempeſtas ſignificatur.* Et ad *Non. Maii Suculæ* cum *Sole* exorientes,

[a] *Nat. hiſt.* 2. 39. & 18. 66. *Gell.* 13. 9.

[b] Not. in *Ulugh Beigh.*

[c] *Plin.* 18. 66.

[d] ὑπόπυρ-ρος, *Ptol. Tetrab.* 1. 9.

[e] *Plin.* Nat. hiſt. 18. 66.

Septen-

Septentrionales Ventos procreant, & Tempeſtas ſignificatur. In *Calendario Gemîni* ad 7 *Tauri Pluviam Eudoxus* obſervavit; & Ἐπισημασίαι ab *Aëtio* collectæ, factæ cum *Oculus Boreus* eſſet circa nonum *Tauri*, notant ad *Maii* IV. *magnam Aëris mutationem*, poſt ortum *Hyadum* cum Sole, & *alterationem validam Aëris per diem unum aut alterum*, ad VI. ejuſdem Menſis, *Caprâ* manè oriente; quæ in *Alexandrino Horizonte* (ubi *Calendarii* hujus Obſervationes erant inſtitutæ) cum *Hyadibus* oriebatur. *Ortus Acronychus* & *Matutinus Occaſus Hyadum*, *Ptolemæo* procreant *Ventorum* μεταβάσεις, & *fulgura* obſervante *Eudoxo* Oct. XVIII. *Ægyptiis Zephyrus* fit, aut *Auſter*; & *Pluvia per totum diem conſentiente Doſitheo* Oct. XXI. & XXIII.

Columellæ Tempeſtatem ſignificant, & rorant; conſentientibus, quod rarum eſt, Democrito, Calippo, aliiſque à quibus *Gemîni, Aëtii*, reliquorúmque *Calendaria* ſunt deſumpta. Inter [a]*Recentiores* autem (nè diutius iſtis minutiis immorer) obſervavit *Stadius Veneris aut Martis* per *Pleiadas tranſitum* aliquot *diebus pluvioſam ciere Tempeſtatem*; *Suculáſque à decimo in decimum quartum Novembris diluculo matutino deſcendentes proverbio nautico occaſionem dediſſe, quo* Simonis & Judæ *Feſto naves in portum ſubducendas admonent*; & quæ de *Martis* & *Mercurii* aſpectibus cum *Suculis* obſervaverat *Plinius*, experientiâ ſua comprobat. Quin & ipſe *Keplerus* ad Menſem *Maii*, An. 1626. agnoſcit Vim *Solis* & *Mercurii* cum *Hyadibus*.

[a] Tab. Bergens, cap. 7.

♉ 23, 24, 25.) Veteres *Romanos* inſtituiſſe *Robigalia* & *Floralia*, ad *avertendam rubiginem, & ut omnia benè deflo- reſcerent ſcribit* [b] Plinius; quòd *fructibus metuerent* Sole *partem decimam, & decimam quartam* Tauri *obtinente*: aut quod verius eſſe autumat, quòd *Canis tunc occideret*. Hinc & [c] *Jejunia & Rogationes apud Chriſtianos ob fructus Terræ, & metus Ruſticorum in regionibus quæ Vinum proferunt, nè hu-*

[b] *Plin.* 18. 29.

[c] Tab. Bergenſ. pag. 206.

 mida

[a] Plin. 18. 28.

mida eſſet Tempeſtas Rogationum diebus. [a] *Vergiliarum* quoque & *Hyadum occultationem & emerſionem* oleis non minus quâm vitibus noxiam fuiſſe oſtendit factum *Thaletis* aut *Democriti*, & è Romanis *Sextii* cujuſdam *qui omne oleum coëmit prævíſa eoram caritate ex futuro Vergiliarum ortu.* Et in calidioribus quidem iſtis regionibus *Vredo* meritò metuebatur non tantùm propter *Caniculam decretorium illud uvis ſidus*; ſed quod ſub hoc Tempus orirentur, occiderentque cum *Sole*, *illuſtre Stellarum Agmen*: eſt enim arcus à *Pleiadibus* ad *Hyadas Pluvius*; non ſuâ tantum, ſed vicinarum etiam Stellarum virtute.

Partes *Tauri* ultrà *Hyadas*, ſunt naturæ paulò ſiccioris; niſi quòd aliquando obſervaverimus, Stellas circa ejus *Cornua* inſigniter eſſe humidas.

♊

ASteriſmus *Ptolemæo* totus temperatus; cujus tamen mox aliquas partes dicit eſſe calidas; quod de diverſis temporibus, & diverſâ Cœlorum facie proculdubio eſt intelligendum. Partes *Anteriores* illi ſunt *humidæ* & *noxiæ*, propter Stellas ſplendidas in *femoribus*, naturæ *Saturni*, qui nocens eſt: illáſque in pedibus ejuſdem facultatis cum *Mercurio* & *Venere*, ſed moderatè. *Mediæ* partes ſunt *Temperatæ*; *poſteriores*, *mixtæ* & *inordinatæ naturæ* propter *Apollinem* qui *Mercurium*; & *Herculem*, qui *Martem* refert. *Boreales* partes, *Ventos* ciere docet; *Auſtrales*, *aridas* eſſe & *æſtuoſas*.

Quantum autem nos obſervando aſſequi potuimus, totum hoc *Dodecatemorium* eſt maximè Tempeſtatibus obnoxium; propter *Hyadas*, *Capellam*, *Hædos*, & *Orionem*, *tempeſtuoſas*, & *horridas Stellas*, *Plinio*; crebriorúmque

Stellarum *Ordinem*, (ut *Maniliano* vocabulo utar) ad Verticem penè noſtrum pertingentem. *Orionis* enim ſydus longo & numeroſo Stellarum tractu illuſtre, ſpatium intra utroſque Tropicos penè totum occupat, [a] *Magni pars maxima Cœli.* Unde δεινὸς ὠρίωνος *Heſiodi* Nautis erat tantoperè formindandum. Per *Mazzaroth* autem non *hunc Aſteriſmum*, ut vulgo creditur, ſed *Urſam Majorem* deſignari vult Amicus meus, ſingularis humanitatis, & literaturæ non vulgaris, in Curis Secundis ad *Ulugh Beighium* nondum editis.

[a] Manil.

♊ 17, 18.) Gradus admodum pluvii & noxii. Quamplurimæ Stellæ in *Orione* juxta *Æquinoctium* Culminant; & in adverſâ Cœli parte complures Stellœ in *Ophiuchi* crure in ipſa *Eclipticæ* orbita verſantur. "*Unde eſt quod ultima* "*Hebdomas Menſis Maii* (quod in gratiam *Agricolarum* non "eſt prætereundum) *pœne ſemper ſit Pluvia. Imber & Pluvia Ægyptiis Maii* 14, & 15.

♊ 27, 28.) Planetæ poſiti in *Ultimâ Decade* hujus Signi ſunt valdè efficaces: *Stillans ſit Imber, Ægyptiis & Hipparcho.* Eſtque & nobis *Dies Criticus*, S^ti^ *Medardi* nomine ſatis notus; *ex quo vel pluvioſo, vel ſereno Plebei de Meſſe judicare ſolent: pluvioſus enim pluviam; ſerenus, ſerenam meſſem pollicetur: & licet non ſemper exactè cum Eventu reſpondeat; rarò tamen prorſus aberrat*; inquit [b] *Origanus.* Oriuntur enim tunc mane complures Stellæ in *Geminis*, & *Orione*: & *Sol* Medius inter Πρόπουδα & *lævum pedem Caſtoris*, in ipſâ *Eclipticâ* ſitos; eſt præcipua cauſa *cur iſti dies tàm crebrò & vehementer ſignificent.*

[b] Introduct. pag. 506.

♋ Aſteriſmus

♋

ASteriſmus *Ptolemæo* totus εὔδιος, id eſt, ſerenus & tranquillus; & tamen calidus. Partes *anteriores*, & quæ verſus *Præſepe*, dicit eſſe Πνιγώδη; id eſt, Suffocantia *caligine ſua æſtuoſâ*, ut *Columellæ* Phraſi utar; Vapores enim ſicci & fuliginoſi Spiritus vitales obruunt, & ſuffocant; quod in noſtro *Climate* nonnunquam experimur, *Sole* in hoc ſigno verſante. Partes autem hujus *Aſteriſmi* (quod de reliquis etiam nonnunquam eſt intelligendum) definiendæ ſunt à *ſitu earum in Eclipticâ*; non reſpectu membrorum *Anteriorum*, *poſteriorúmve* ipſius *Formaturæ*; quarum Figuræ ſunt variæ, & ſæpè deridiculæ: unde curioſa *Bayeri* diligentia *Cancrum* ſuum fieri curavit, ad formam eorum qui in *Nummis Imperatorum*, cum *Zodiaco* apparent.

Veteres Aſtronomos qui *contrarias poſituras* Aſteriſmis tribuiſſe videntur, *reverà non diſcrepaſſe*, optimè obſervavit [a] *Huetius*: at in iis formandis *Globorum Architectos*, *Formaturarúmque* Inventores, præſertim *Arabes*, fædè hallucinâſſe, *Ipſe*, *Scaliger*, aliique omnes fatentur. *Mediæ* partes *Ptolemæo* ſunt *Temperatæ*; forſan propter illas ἐν χηλαῖς naturæ *Saturni* & *Mercurii*: quas tamen *Stadius* affirmat nunc eſſe calidas. *Poſteriores* ſunt ventoſæ propter duas in *oculis Cancri*, naturæ *Mercurii*, & *Martis* paululum; quarum cum in *Canone* ſuo non meminerit *Ptolemæus*, hinc nonnulli colligunt Τετράβιβλον quæ nunc exſtat, eſſe *Procli* τȢ Διαδόχȣ opus, non *Ptolemæi*: at quàm verè, ipſi viderint.

[a] In *Manil.* pag. 9, & 22. *Scalig.* in *Manil.* pag. 484.

♋ 0, 2, 3.) *Dies calidi* ob *Tropicam altitudinem.* Et tamen *ſecundus* hujus *Dodecatemorii* gradus, videtur eſſe per ſe frigidoris aliquantum naturæ: cùm non ſemel expertus ſim, Frigus ſubitum & acre, dies mediam Æſtatem ſubſequentes invaſiſſe.

♋ 7.)

♋ 7.) *Calidus & pluvius.* Lucent in hoc gradu & in ejus viciniâ *Caſtoris manus*, *Pollucis genu & pes* : *Sirius* cum Sole culminat.

♋ 13.) *Gradus admodùm violentus.* Sub valido Cœli poſitu, effrænata erumpit Cœli violentia, juxta iſtum gradum. Eſt enim turbidus, Terræ motus producens, & Morbos Epidemicos. Stella ibi clara micat, ad manum dextram *Apollinis* in ipſâ *Eclipticâ*. ann. 1746. hoc gradu diræ tempeſtates, sed concurrebant 3. 4.ve planetarū adſpectus efficaces. vid. diar. m. A. 1747.

♋ 14, 15.) Iſtis diebus, *Keplero* Pluvia ſæpiſſime; decumanæ ſemel; continuæ bis; largæ ſemel; calores novies; fulmen bis.

♋ 16.) *Valdè pluvius.* *Culminant* Stellæ ſplendidæ in Aſteriſmo *Geminorum*, & *Procyone*; dum *Lucida Lyræ Horizontem Borealem* ſtringat.

♋ 19.) *Viſitatio B. Mariæ. Dies Criticus* apud vulgus; *quo ſi pluvia ceciderit, putant fore ut duret continuas quatuor hebdomadas.* Eſt autem totus *Geminorum* Aſteriſmus ob ſuas Stellas, Comitúmque Agmen, *pluvius & turbidus* : & quod ultrà Tropicum emineat ad verticem noſtrum accedens, ut Solis calores augeat, cum partes Boreales luſtrat. *Quicquid eſt Geminorum Imbres repentinos facit, inquit* [a] *Cardanus.* Et certè gradus ſequentes ſunt communiter pluvii 7, 10, 13, 15, 16, 20. & ſæpe evenit, ut *ſi tres Planetæ probè diſtributi ſint in hoc Signo, multum pluviæ cadat, oriatúrque magna Vis Ventorum.*

[a] Segm 7 Aphor. 73.

♋ 23, 24.) *Aërem turbidum, & morboſum efficiunt.* Opponunt crebras Stellas circa *Antinoum*, *Aquilam*, & *Sagittarii*

ἐφαπτίδα

ἐφαπτίδα juxta *Eclipticam* ; & *quinque ad minimum nondum deſcriptas.*

♋ 28.) *Eſt Totius Cœli gradus calidiſſimus.*

♌

♌ 0, ad 12. PRima decas hujus ſigni eſt Arcus efficaciſſimùs ; unde Stus. *Swithinus* eſt *dies Criticus*, quo de futurâ *Pluvia* judicat vulgus noſtrum ; nec vano ſemper augurio ; utplurimum enim *ſignificare* ſolent. *Tonant* etiam frequenter iſti Gradus, & noxiis caloribus æſtuant ; præcipuè propter *Præſepe* ; & *Aſellos*, nebuloſam iſtam συςροφὴν utrinque ſtipantes.

♌ 6.) Juxta hoc tempus oritur *Procyon* & *Eteſiæ* invaleſcere ſolebant. Qui ſunt [a] Venti anniverſarii, æſtate à *Septentrione* flantes, ut *æſtatem frangant, & à menſium ſeventiſſimorum gravitate nos defendant*, *inquit Seneca*. A diſſolutâ nive ſub *Septentrione* provenire non poſſunt ; quia Sole ſub Polo per totum iſtud tempus non occidente, expirarent nives, & *Eteſiæ* in nos reciderent etiam in *noctibus*, ut acutè obſervavit *Fromondus* ; quæ *interdiu* tantum ſpirare ſolent. Quidni igitur dicamus Frigidos iſtos flatus oriri ab Interſtitiis Stellarum vacuis, quæ hic ſunt conſpicua ; & à minutiſſimis *Galaxiæ* Stellis quæ inter utrúmque *Canem* dilabuntur ? Nec eſt iſta conjectura febriculoſi crebri ſomnium, ſed ratione nititur non prorſus contemnendâ : Venti enim iſti *ſomniculoſi*, (uti lepidè à *Gallione* apud *Senecam* vocantur) non oriuntur ante *horam nonam matutinam*, quo ipſiſſimo tempore, effectu cauſam monſtrante, *Lacteus Circulus*, & Interſtitia iſta vacua à *Procyone* penè ad Polum Borealem, & ad Auſtrum uſque ad *Sirium* protendentia, ad *Meridianum*

[a] *Ariſt. Meteor.* 2. 5. *Probl.* 54. *Sect.* 26. *Senec. Nat. Quæſt.* 5. 10, 11. *Plin. Nat. hiſt.* 2. 48. *Fromund. Meteor.* 4. 6. *Proſper. Alpin. de Medecin. Ægypt.*

Meridianum accedunt, teporémque lenem undique diffundunt.

Duo ſunt *Aſteriſmi* illuſtres, *Canes* vocati, quorum *Minor* Προκύων Græcis dicitur; *Major*, *Sirius*; quo tamen nomine propriè deſignatur fulgentiſſima illa Stella in Ore ſeu Maxillâ ejus; quæ & *Canicula* aliquando appellatur, [a] *Plinio* præſertim; * iſta enim nomina multùm ab auctoribus confunduntur. Vires ejus ubique apud omnes auctores mirè celebrantur, & vel [b] *Gemîno fatente omnes putabant Canem propriam Vim habere. Effectus ejus ampliſſimi in terrâ ſentiuntur,* inquit [c] Plinius; *fervent Maria, fluctuant Vina, moventur ſtagna, Canes in rabiem aguntur*; *Homero* eſt κακὸν σῆμα; Heſiodo κεφαλὴν καὶ γούνατα Σείριος ἄζει: ubi non *Solem* intelligit, ut *Scholiaſtes*, & doctiſſimus *Græviuis* putârunt, ſed *Canem*; ut monſtrat *Bainbrigius* noſtrâs in erudito tractatu de *diebus Canicularibus*: quanquam & non ignorem [d] *Sirii* vocabulum tribui *Soli*, non minùs quàm *Caniculæ*, & *Nilo*. Febres illo exoriente accendi, ſæpe aſſerit *Pater Medicorum Hippocrates*, & *Dierum Canicularium* æſtus, & κυνοκαύματα quis eſt qui ignorat? Tanti quoque erat iſta Stella apud *Ægyptios*, ut à *Sirio*, quem [e] *Sothin* appellant, Annum ſuum inceperint, *Periodúmque Sothiacam*; illúmque in Deorum numerum retulerint, ob *Nili* ſui incrementum, quod ſub ejus ortum contigiſſe obſervâſſent. Ut paucis rem hanc expediam; *Sirius* quidem eſt ſidus per ſe vehemens, æſtúſque plerúmque intendi acceſſu *Solis* ad utrúmque *Canem*, experientia ſatis teſtatur. Calores autem iſtos alióſque *Sirii* effectus uni *Soli* tribuere; eſt, judice [f] *Ricciolo*, *adverſo flumine immò torrente Auctorum conari, & otioſam nimis reddere tot Stellarum conditionem, ac diſpoſitionem divinitus factam.* Omnes enim fatentur *initium* incrementi *Nili* eſſe circa diem 16, vel 17 *Junii* ſtatim poſt *Solſtitium*; quando *Sirius cum Sole culminans*, ſe non *Indicem*, ſed *Cauſam* tantæ rei eſſe clariſſimè monſtrat:

* Vide Ricciol. *Almag.* Tom. 1. pag. 409.

[a] *Harduin.* in *Plin.* 2. 47.

[b] In *Iſag.* 14.

[c] *Plin.* 2. 40. & 18. 28, 29.

[d] *Huetius in Manil.* pag. 37.

[e] Vid. *Append. ad Diſſertat. Cyprian.*

[f] Almag. Tom. 1. pag. 409.

ſtrat: Causâ & Effectu nexu mutuo ſibi lucem fænerantibus.

Dies autem *Caniculares* calores ſuos debent non *Sirio* tantùm, ſed *Procyoni*, *Leonique*; prout expreſsè teſtatur [a] *Horatius.*

[a] Lib. 3. Od. 29.

Jam Procyon furit
Et Stella væſani Leonis.

Quin & totum fulgentiſſimarum Stellarum *Agmen*, Solis ortum præcedens, accendit ejus calores, non minùs quam Caniculæ vicinarúmque Stellarum exortus; toti enim Cohorti vis eſt tribuenda, non uni Cani aut Caniculæ. Immò cum Fixæ ſint Caloris *cauſæ* tantùm *Partiales*, quæ plus aut minus virium habeant prout Planetæ reliquáque concurrant; hinc fit ut nonnunquam, pro *communi diverbio*, *Canis non mordeat*; aliquando autem [b] *flagret atrox hora Caniculæ*. Jam quidem ſatis conſtat, [c] *Nili incrementum* oriri è Pluviis continuis quæ cadunt in illa parte *Æthiopiæ* quam *Abaſſenam* hodie appellant; ejúſque fontes præcipuos ſitos eſſe in illo tractu qui interjacet gradum nonum & decimum quintum Borealis latitudinis. *Primæ* pluviæ cadere dicuntur in *Habaſſia* circa *finem Maii*, vel *initium Julii*, *medioque Julio* denſæ fieri & continuæ. *Primum Nili* incrementum fit *decimo ſeptimo Junii*, *Sole* ſextum gr. *Cancri* obtinente, *Culminante Sirio*, & *Geminorum Aſteriſmo* (cujus *Caput*, *Cubitus* [d] *Nili Ægyptiis* vocatur) *Ægyptiorum Verticibus* imminente: *Siriique* Calores à tergo ejus augente *Argo-Navi*, quâ ſita eſt omnium Stellarum maximus *Canopus*, *Orientalibus* Solis æmulus.

[b] *Horat.* lib. 3. Od. 13.
[c] *Eratoth.* τοῦ νείλου πηγαὶ. *Proſper Alpinus de Medic. Ægypt.* *Voſſius de Orig. Nili.* *Ludoph. Hiſtor. Æthiop.*
[d] *Not. in UlughBeigh* pag. 6, 34.

Quamdiu *Sol* in *Cancro* verſatur pauciora ſunt incrementa; cum *Leonem* ingreditur magna fiunt augmenta, maximúmque cum eſt in medio *Leone*; minuitur autem aqua *Sole* Signum *Virginis* ingreſſo: quæ etiam leges augmenti

&

& decrementi, in *Fontibus Nili*, & *Æthiopiæ Pluviis* deprehenduntur, facto aliquo temporis diſcrimine. *Cadunt primùm Imbres*, *Sole* inter *Pleiadas*, *Hyadas*, & *Orionem* exiſtente, Stellas inſigniter Pluvias, *Nilique Fontibus Verticales*: *Creſcit Flumen* & agminatim defluunt imbres *Sole Leonem ingreſſo*, ob Stellarum *Agmen Fulgidum*, Ortum ejus antegrediens, ſubſequênſque; & propter *Cancri Leoniſque* Aſteriſmos *Nili Aquis incubantes*. *Sole Virginem ingreſſo Aqua minuitur*; quòd *Sol Declinans*, nimis longe ab illuſtri iſto Stellarum Agmine diſceſſerit, quæ & *Horizontem* pænè ſtrinxerint, antequam Sol *Meridianum* occupaverit.

Leonis Aſteriſmus ſecundùm *Ptolemæum*, *æſtuat* & *ſuffocat*. Partes ejus *auteriores* ſunt πνιγώδεις & λοιμικοὶ; propter duas in *Capite Leonis*, naturæ *Saturni*, & nonnihil *Martis*; tres in *Collo*, quœ *Saturnum* & *Mercurium*, ſed moderate referunt; & propter *Cor Leonis*, quem Βασιλίσκον (ſcrib. βασιλικὸν) vocat *Ptolemæus*; *Regiam Stellam Plinius*; quòd *Chaldæi* exiſtimarent illam ἄρχειν τῶν οὐρανίων; aut quod ſub illo nati haberent βασιλικὸν γενέθλιον. *Mediæ* illi ſunt *Temperatæ*, & meritò; propter pauciores Stellas. *Poſteriores* ſunt *noxiæ*, & *aquoſæ*, veteri autem Intepreti *ſiccæ*; propter Stellas in *Ilio*, & *Femoribus*, *Lucidam in Caudâ*, aliaſque complures conſtituentes *Auſtrales* Aſteriſmi partes quæ calore ſuo nunc pluviam, nunc æſtus producunt. *Boreales* autem partes ſunt Ventoſæ, (κινήσεις ποιοῦντα) & æſtuoſæ: *paucæ enim ſunt tempeſtates quibus non concurrunt* Leo, Virgo, *aut* Taurus.

♌ 17, 18, 19, ad 28.) Stellæ in utràque *Leonis* δεξιὰ ſunt admodùm potentes; & ſub hoc tempus ſolet de nocte ventus moveri, aut cadere Pluvia; ut & ſequentibus etiam diebus: *Auguſtus* quippe, jam *cadente Sole*, ſæpè pluviis infeſtatur inquit *Keplerus* ad menſem *Auguſti* Anni 1621. *Sol* enim in grad. 25. conjungitur cum *Corde Leonis*, degitque inter multas Stellas tertiæ, & ſecundæ magnitudinis;

 &

& circa grad. 27, 28. opponit συστροφὴν Stellarum in adverſo *Hemiſphærio.* Totus autem *Leonis Aſteriſmus* eſt calidus, propter majores & numeroſiores Stellas ibi degentes; & ſæpè in Hyeme reſolvitur gelu, cum à *Luna* occupantur poſteriores ejus gradus; cum hoc autem Aſteriſmo *Culminant Vrſa Major, ejuſque informes*; Imum Cœli interim occupantibus *Fomohant, Markab,* & *Scheat.*

♍ 0, 1, 2, 3.) *Dies inſigniter calidi* etiam in *Veterum Calendariis.* Opponit Sol Stellas validas in *manu Aquarii,* aliaſque in viciniâ *Eclipticæ* & *Æquinoctialis* Circuli ſitas.

♍ 9.) Pluvius. ʼαντιμεσουρανεῖ *Fomohant,* Stella inſignis; Sole verſante inter Stellas in *Clune Leonis,* & *ſub Ventre.*

♍ 12, 13.) Sol opponit quinque Stellas in *Aquario*; quæ ſunt quaſi συστροφὴ nebuloſa, varios effectus producens.

♍ 17.) *Valdè ſignificat.* Stellæ in *pede Leonis,* & *Caudâ,* gradum hunc illuſtrant.

♍

ASteriſmus *Virginis* ſecundum *Ptolemæum* eſt humidus; & tonitruoſus. Partes *anteriores* paulò calidiores, & noxiæ propter Stellas in ejus *Capite,* & in *Alâ Auſtrali* facultatis *Mercurii,* & aliquantum *Saturni.* *Mediæ* partes hic etiam pro ſolito ſunt *Temperatæ,* quibus aſſignantur Stellæ in *Perizomate,* & προτρυγητὴρ. *Poſteriores* humidæ ſunt, propter *Spicam*; *Boreales,* ventos commovent: *Auſtrales* temperatæ ſunt.

Anteriores autem ejus partes ſunt minus calidæ quàm olim; propter *præceſſionem Æquinoctiorum*; receſſêre enim ab *Altioribus*, *Æſtiviſque Æclipticæ* gradibus, ad *obliquiores Æquinoctii Autumnalis.*

♍ 18, 19.) Verſatur Sol inter Stellas *capitis Virginis*, & in *Leonis pede.*

♍ 22.) In ipſa *Æcliptica* jacet *Ala Virginis.*

♍ 23.) *Fulminat ſæpe iſte gradus. Culminat Leonis Cauda*; & Stella ſplendida in *Urſa Majori Magnitudinis ſecundæ.*

♍ 27, 28.) *Poſitio valida*, etiam propter *vicinitatem Æquinoctialem. Oritur Arcturus; vehementiſſimo ſignificatu*, inquit *Plinius*; & *non ſine procelloſâ grandine.*

♎ 0, 1, 2.) *Significant*, ratione *ſitûs Æquinoctialis.* μεσουρανεῖ *Coma Berenices.*

♎ 16, 17; 18, 19, 20, 21.) *Valdè ſignificant. Spica* ejuſque *Comites*, ſive *Filiæ*, hic ſitæ ſunt. *hisce gradibus, diebusve an. 1745. pluvia sub austro, ac Zephyro, interdum fortiori.*

Spica Virginis, ejuſque *Comites*, quæ ſacrorum Scriptorum more ejus *Filiæ* dici poſſint; horum dierum ſtatum conſtituunt: quorum Tabellam hic exhibebimus; ut (uno in Exemplo, inſigniori tamen, quod reliquis ſpecimen eſſe poſſit) ſummi Conditoris ſapientia in Stellis ordinandis clariùs pateſiat & illuſtretur. Cur enim tot Stellæ antegrederentur illam, & undique ſtiparent, eæque diverſæ naturæ, magnitudinis & diſtantiæ; niſi certo aliquo conſilio; ut melius dignoſceretur Stellarum vires dependere à *diverſâ earum magnitudine, multitudine, & diſtantiis à ſeinvicem, & ab Æclipticâ, & Æquinoctiali Circulo?*

Tabella

Tabella Fixarum aliquot Stellarum, quæ proxime Spicam Virginis ſitæ ſunt ad Annum Dom. MDCXX.

♎ Long.		Lat.			Magn.	
17	30	A	7	51	5	—— *Sub Spicâ Virg. Trium ſequens.*
18	15	B	1	11	6	—— *in Coxâ ſiniſtra Borealiſſima.*
	17	B	0	10	6	—— *in Femore Quadrilat. præced. auſtral.*
	33	A	1	59	1	—— *Spica Virgin.*
19	17	B	8	30	6	—— *in Coxæ extremo.*
	52	A	9	16	5	—— *ſub Spicâ trium media.*
20	1	A	0	19	6	—— *duarum ſequentium Auſtralior.*
	10	A	3	5	6	—— *ſequens ſpicam proximè ad Auſtrum.*
	52	A	6	16	5	—— *ſub Spicâ trium Orientalior.*
21	56	B	1	45	6	—— *duarum ſequentium Borealior.*

Ann. 1745 ☉ in ♎ gr. 18. et in ☍ c. ♃ pluvia, calor, cum tamen per totum fere mensem antea, non plueret. it. 61. ann.

Crebrâ experientiâ patet, ex Obſervationibus per novendecim annos continos factis, & è *Kepleri* Ephemeridibus petitis, *Solem* juxta *Spicam* poſitum ineunte *Octobri*; aut illam ex *adverſo* reſpicientem ſub finem *Martii* (quo in poſitu plus valet) omnis generis effectus violentos procreare; Pluvias in primis continuas & decumanas, ventos validiſſimos, calores & fulmen; tàm in *noſtro Climate*, quàm *Viennæ*, *Pragæ*, *Ratisbonæ*, & *Lincii*; niſi quod apud nos rarius *tonet*. Immò novendecim annorum ſpatio pluviam continenter produxit Sol circa *Aprilis* 28. cum præciſè *Spicam ex adverſo* intueretur in *Arietis* gr. 18. poſitus; *unde Menſis* Martii *exitus ſæpe pluvius, & paulò calidior.*

Quin & reliqui etiam Planetæ, conjunctis aut oppoſitis Radiis *Spicam* intuentes, inſignes Effectus producunt; ſed pro ratione diverſæ eorum Naturæ, & diverſarum Anni Tempeſtatum.

♎ 22.) Præcedentibus minus calidus; Gradus enim *Spicam* ſequentes, ſunt Stellis minus refertæ.

♎

Aſteriſmus *Libræ Ptolemæo* totus quidem varius eſt & mutabilis; quod vero propius olim erat, cum juxta *Æquinoctium* ſitus eſſet, in quo ſunt Τροπαὶ *Autumnales*. Stellas ἐν ταῖς ἄκραις τῶν χηλῶν, quæ nunc *Lancis Borealis* & *Auſtralis* nomine inſigniuntur, *anterioribus* Aſteriſmi partibus aſſignat; unà cum illis quæ in medio *Chelarum* ſitæ ſunt, quibus Temperiem dat. Partes *Boreales* ſunt Ventoſæ; *Auſtrales*, humidæ & peſtilentes.

Anteriores quidem Aſteriſmi partes, & Mediæ, ſunt temperatæ; nam hîc apud nos primò fit Pruina. *Poſteriores* ſunt ſæpius frigidi quàm humidi. *Extremi* ſunt inſigniter pluvioſi; quòd diametraliter opponunt *Pleiadas*. *Boreales* erant Ventoſæ *Ptolemæi* ætate, quòd tunc viciniores eſſent lineæ *Æquinoctiali*; & *Auſtrinæ* ſunt peſtiferæ quòd ſiccæ ſint & nebuloſæ: Solis enim appulſus ad *Lances* ſæpius Cœlum nubilum, aut nebuloſum reddit, quam Pluvium.

à ♏ 5, ad 17.) *Conſtitutio nebuloſa.*

♏ 18.) *Validiſſimè ſignificat.*

♏ 20.) Gradus *humidus Albumaſari*, quem *Abu Maſher* rectius dixeris.

♏ 21, 22, 23, 24, 25.) *Vehementiſſimè ſignificant pluviam*, & *Tempeſtates*; ob *oppoſitionem Pleiadum. Ægyptiis, per diem pluvia, & venti inconſtantes.*

♏ 27.) *Locus crudus & frigidus.*

♏ Iſte

♏

ISte Aſteriſmus *Ptolemæo* totus tonitruoſus eſt, & igneus: *Anteriores* ejus Partes ſunt tamen *nivoſæ*; & *ſeptentrionales*, quod mireris, licet ſint *partes Anteriorum*, ſunt *æſtuoſæ.* Quæ reſpectu habito ad diverſitatem *Climatum*, & ætatum in quibus Obſervationes iſtæ factæ ſunt, & de diverſorum Planetarum appulſibus procul dubio ſunt intelligenda: cum Sol apud nos hic poſitus non tonet; nec eadem Cœli loca poſſint eſſe & frigida & calida, niſi diverſo reſpectu; ut ſæpè monuimus.

Anteriores partes conſtituunt *Lucidæ* in *Fronte*, naturæ *Martis*; unde eſt quod æſtuent; & *Saturni*, unde earum nix.

Antares quoque iſtis eſt aſcribendus; Stella rutilans & rubra *Martis* naturam referens; nonnihil autem *Jovis.*

Mediæ partes poſt *Cor Scorpii*, quod *Ptolemæo* ſolenne eſt, ſunt *Temperatæ*; propter loca Stellarum vacua, & vicinitatem cum Viâ Lacteâ.

Poſteriores; Terræ motus efficiunt; quibus adſcribit Stellas in *Spondylis*, *Saturni* & *Veneris*; illaſque in *aculeo Mercurii* & *Martis* inſignibus notatos: & nebuloſam demum συςροφὴν, quæ pro more conſueto, *Martis* & *Lunæ* Characteribus inſigniuntur.

Boreales Anteriorum partes, ſunt καυσώδεις; *Auſtrales*, quas etiam conſtituunt multæ ex anterioribus Stellis, ſunt humidæ, propter *Cor Scorpii.*

Aſteriſmus iſte communiter putatur eſſe *peſtilens*; eſt *minax* & *flagrans Lucano*; creditur eſſe *Martis Domicilium*, & ſupra *Romam* poſitus; *Virgilio* quoque eſt *ardens*, etiam *propter Virus*, ut exiſtimat Servius. Quæ non de nihilo dicuntur, nam *Hyadibus* eſt oppoſitus, *Pleiadáſque* obliquè intuetur,

intuentur, Stellis in *Ophiuchi Crure* illuſtratur, illúmque à Tergo ſequitur *Feræ* Aſteriſmus.

♐ 16.) *Violentus & pluvius.* Conjungitur *Sol* cum ſeptem Stellis in altero *Ophiuchi crure*, in ipſa *Eclipticæ orbitâ.* Opponítque multas & turbulentas Stellas in *Oculi Tauri*, & *Orione.*

♐ 17, 18.) *Certiſſimè ſignificant. Democrito Tempeſtas terrâ marique.*

♐ 25.) *Locus turbulentus. Ægyptiis hyemat*, χειμέριος περίστασις.

Eſt autem *Dodecatemorium Sagittarii* admodum pluvioſum, & tempeſtatibus obnoxium, præſertim *ultima* ejus *Decas*; idque potiſſimum ex Oppoſitione *Orionis*, & *Geminorum.* Quod etiam indicant & Veterum *Calendaria* quæ hujus Temporis hyemem, vimque ventoſam & pluviam, *Veſpertino ortui Orionis & Geminorum* potiſſimùm tribuunt.

♐

ASteriſmus totus Ventos commovens *Ptolemæo.* Partes *Anteriores* humidæ; complectentes Stellas in *Cuſpide Sagittæ*, eas quæ ſunt circa *Arcum* & κράτημα χειρὸς, & *nebuloſas* in Facie, quæ *Solis* & *Martis Characteribus* inſigniuntur, præter ſolitum.

Mediæ Temperatæ; propter illas in ἐφαπτίδι, dorſo, & pedibus, *Jovis* Temperiem potiſſimum referentes.

Poſteriores ſunt calidæ; quibus aſſignat Τετράπλευρον in *Caudâ*; *Boreales* ventoſæ; *Auſtrinæ*, humidæ & inſtabiles.

O ♑ 0.)

♑ 0.) *Hyemat.* Maxima Solis Declinatio, & Solſtitium. *Cœlum & mare turbulentum Democrito.*

♑ 13.) *Valida Poſitio.*

♑ 21.) *Mane gelaſcit; dies rarò gelidus.* Soli opponuntur Stellæ *Tychonicæ informes* in *Geminorum Dodecatemorio* ſitæ. *Procyon* ἀντιμεσουρανεῖ; *Medium Cœli* occupantibus compluribus Stellis ex Aſteriſmis *Cygni*, *Sagitarii*, immò & *Aquilæ.*

♑ 22.) *Idem ferè Aëris Status*, paulò tamen frigidior; nec diſſimilis eſt ſequentis diei καλάστασις.

♑ 27, 28, 29.) *Dies pluvii & nebuloſi. Columellæ* IV. Kal. Jan. *Hyemat. Nebuloſæ in Fronte*, & Stellæ in *Cornu Auſtrali* hic verſantur; quæ ſunt valdè efficaces, & quam maximè notandæ. *Hyemant Ægyptiis*; *Metoni*, *intemperies.*

♑

ISte Aſteriſmus *Ptolemæo* eſt totus humidus. Partes *anteriores* æſtuoſæ & noxiæ, propter Stellas in *Cornibus* naturæ *Veneris* & *Martis*; illáſque in *Ore* quas *Saturno* & *Veneri* aſſignat; & in *pedibus* & *ventre*, quæ *Marti* & *Mercurio* adjudicantur. *Mediæ* ſunt *Temperatæ*; *Poſteriores* autem imbres excitant, propter Stellas in *Caudâ.* Tàm *Boreales* autem, quàm *Auſtrales*, ſunt humidæ & noxiæ.

Capricornus Manilio eſt *Felix*, & Artis Genethliacæ Magiſtris *Reges* facit, & *Principes.* *Auguſtum* ſub illo natum fuiſſe teſtatur nummus ejus hujus ſideris notâ percuſſus, qui apud *Spanhemium* conſpici poſſit; ad cujus formam utinam

Aſteriſmo-

Aſteriſmorum Architecti in poſterum ſuas componerent. Altercantur de hoc nummo viri eruditi ; litem autem compoſuiſſe dicitur, doctiſſimus Mathematicus *Gothefridus Vendelinus* in Epiſtolâ ad *Albertum Rubenium* ; quam nondum mihi vidiſſe contigit. Certè ut omittam quæ de Recentiorum quorundam *Principum Horoſcopis* traduntur ; [a] *Arabes* notarunt *Timûri Magni* (quem *Tamerlanem* vulgò vocamus) *Nativitatem Fælicitatis plenam contigiſſe Aſcendente Capricorno. Saturnum* autem in *Capricorno* facere graviſſimas pluvias præcipuè in *Italia* ; aſſerit *Servius* in *Virgilium* : unde & *Horatio* appellatur

[a] Præfat. ad *Ulugh Beigh.*

——*Tyrannus*
Heſperiæ Capricornus undæ.

Od. 2. 17. ubi *Mæcenatis*, ſuúmque *Thema Cæleſte* divulgavit, & Συναςρίαν.

♒ 0, ad 13.) *Gradus efficaces.*

♒ 2, 3.) *Ventus & Pluvia.* Sol conjungitur cum Stellâ parvâ quidem, ſed ſitâ in ipſa *Eclipticâ. Præſepe* ἀντιμεσουρανεῖ, oritur matutinò *Pegaſus* & *Aquarius* ; occidit veſperi *Corona* , Mediúmque Cœli occupant *Delphinus* , & *Cygnus* Conſtellationes inſignes.

♒ 13.) *Sol* juxta Stellas in *Capricorni alvo. Significat pluviam, aut nivem*, ad *meridiem*, aut *occaſum Solis.*

♒ 17.) *Calidior præcedente*,& ſubſequente gradu; propter *oppoſitionem* quarundam Stellarum in *Leone.*

♒ 24.) *Purificatio B. Virginis. Dies pluvius, utplurimùm tamen Ventoſus.* Opponitur hîc Cor Leonis, Stella calida : quæ autem Stellæ, *Æſtate calores* gignunt ; *Hyeme*, in *Oppoſitione Ventos* movere ſolent.

Si *Sol ſplendeſcat hoc die, colligit vulgus majorem poſtea glaciem futuram:* quia ſi *Sol* iſto die qui communiter nubilus eſt & ventoſus, exhalationes movere non valeret; minus in ſubſequentibus illum poſſe putabant. *Cor enim Leonis* claudens agmen Stellarum calidiorum quæ nubes cogere ſolebant habet vim admodum calidam; cui ſi gelu contumax eſſet, de reliquis deſperabant gradibus, qui non adeò validè ſignificare ſolebant.

♒ 28, 29.) *Significant.* Hîc ſe oculis conſpiciendam præbet Stella nondum deſcripta; hâc formâ ˙.˙

♒ ♓

AQuarius in genere frigidus eſt *Ptolemæo*, & aquoſus *Anteriores* partes humidæ; *Mediæ* temperatæ; *Poſteriores* ventoſæ.

Auſtrinæ nivoſæ; Stellæ enim in *Effuſione* ſunt crudæ & nives fundunt: *Boreales* autem æſtuoſæ; ibi enim verſantur quatuor aut plures Stellæ in *dextra manu*, juxta *Æquinoctium*. *Anteriores* ſunt humidæ quod opponant Stellas in *Leone*; *Mediæ* temperatæ, ob Stellarum paucitatem; *Poſteriores* ventoſæ, ob oppoſitionem partium *Leonis*, quæ *Virgini* proximè accedunt, quarum magna eſt vis in ventis movendis.

Aſteriſmus *Piſcium* eſt Totus frigidus, & ventoſus; partes *anteriores* temperatæ, quibus accenſemus *Piſcem Auſtralem*; Mediæ humidæ, quæ *medium Vinculi* complectuntur; poſteriores æſtuoſæ, quibus *Nodum* adſcribimus, & reliquum *Vinculi*. Partes *Aquilonares* ventoſæ, *Auſtrinæ* aquoſæ.

♓ 0, 1, 2.) *Raro pruina; calor & nebula ſæpius: fulgurabat*

rabat ſecundus gradus An. 1664. Sol juxta Stellas in *Cubito dextro*, & dextrâ manu *Aquarii*, & in Tibiâ quæ *Sa'd*, corruptè *Scheat* vocatur. Quæ autem ſunt in *dextra manu*, *ſunt calidæ*; & *Vis non exiguæ.*

♓ 11.) Nubilum, calor, pluvia, aliquando & Fulmen. Quinque Stellæ in *Aquarii Effuſione* juxta *Eclipticam*; culminant *Markab* & *Pegaſi Scheat*, & *Fomahant*, meliùs *Fumalhaut*; quæ eſt Stella efficaciæ non minimæ, cum *Horizontem* ſtringat.

♓ 13.) Dies *Criticus*, *Cathedrâ Sti.* Petri *notabilis.* Eſt autem calidus, *Sole* poſito inter Stellas in *Aquario*, *Pegaſo*, & *Piſce Auſtrali*, qui paucis tantum gradibus ab *Æquatore* diſcedit.

♓ 16.) *Ventos frigidos movet.* Opponuntur Stellæ juxta *Caudam Leonis*, quæ à veteribus ♄ ♀; ♀ ☿ Characteribus inſigniuntur. *Hyemat Ptolemæo* iſte dies; & pro *Veteri diverbio*,

Matthias glaciem frangit ſi invenerit illam,
Ni frangit glaciem, tu mihi crede facit.

♓ 18.) Ningit aut pluit. *Ceti Cauda* culminat.

♓ 23.) Ventus Borealis aut Subſolanus, pluvia frigida. *Sol* cum quatuor *Piſcis Stellis informibus*, quadratam figuram referentibus. "Duo Planetæ in *Piſcium Dodecatemorio* "opponentes unum in *Virgine*, ſæpe Imbres, & Ventos fri-"gidos movent.

♓ 26.) *Nebuloſus & frigidus, pluvius cum grandine*, & præcedente minus calidus: paucæ hic apparent Stellæ.

Aphoriſmi

Aphoriſmi Aſtro-Meteorologici, De Horizontis & Meridiani Viribus.

XXI.

Horizontis & Meridiani *Vis, in* Re Meteorologicâ *non levis eſt momenti.* Horizontis *quidem; quòd Terræ ſuperficies Aſtrorum Radios ſiſtat, & reflectendo corroboret, & multiplicet.* Meridiani *autem ; propter Stellas in illo* culminantes, *viréſque in utrúmque ſui* ταταρτημόριον *ſpargentes ; quæ,* Verticales *præſertim,* Angulos rectos *ad Terram efficiunt, aut Rectis proximos ; quorum inſignis eſt Efficacia.*

Tanta autem eſt horum Circulorum Vis, ut rarò decidat Imber, niſi Planetâ aliquo exiſtente in Puncto Ortûs aut Occaſûs, Medio aut Imo Cæli ; quos Angulos Cœli *vocant* Aſtrologi : *ad quos cum* Tempeſtate jam exiſtente *appulerit Planeta, aut* Aſteriſmus Validior , *ejus ſævities manifeſtè creſcit & augetur.*

Immò & rarò loca iſta attingunt Corpora Cœleſtia, quin à curioſis Naturæ exploratoribus obſervari poſſit, ad ipſum appulſûs momentum, *aliqua levior ſaltem Aëris mutatio : flatus nimirum ſubitus & repentinus, Aura lenior, nubium curſus paulò citatior, aut pluviolarum tenuiorum levis ſparſio. Unde, cognito Aſtri appulſu Imber prædici ; & è contra ex dato Imbre, Momentum appulsûs, & Diei Hora nuntiari poſſit.*

Vim

VIM *Angulorum Cœli* miratus eſt, & meritò, [a] *Offuſius ; quam diuturnâ adeò Obſervatione compertam habuit, ut eâ de re dubitare puderet.* Nec de nihilo igitur eſt quod Ortus & Occaſus, μεσουρανήσεις, & ἀντιμεσουρανήσεις Stellarum, in Veterum *Hemerologiis* adeò frequenter occurrant.

[a] De Aſtr. Fac c. 16. *Ptolem.* Tetrab. 1. 6, 13, 27.

In hâc autem Doctrinâ ſequentia *Problemata* locum mereri videntur :

(1.) *Horizontis Arcus Boreales & Auſtrales*, quod jam monuimus, non minus eſſe ſpectandos quam *Orientales & Occidentales* ; quòd *Aſteriſmi* ibidem ſiti, vicinum *Horizontem* motu tardo validè ſtringentes, Aerem inſigniter commoveant.

(2.) Natura Stellarum quæ *oriuntur & occidunt*, dignoſcenda eſt ab earum appulſu ad *Horizontem :* ad *Meridianum* autem, earum quæ *nunquam Horizontem* ſubeunt.

(3.) Non *Zodiacales* tantùm *Stellæ*, ſed quæcunque à *Polo* ad *Limbum Horizontis* pertingentes *ſimul* cum Planetâ ad *Meridianum* accedunt, hîc ſunt ſpectandæ *:* uniuſcujuſque enim *Gradûs Zodiaci* efficacia eò eſt major, quò plures habeat Stellas ſecum culminantes, ſive in *Lineâ Meridianâ* gradatim ſub ſeinvicem poſitas, ab unóque Limbo *Horizontis*, ad alterum pertingentes. Unde Signi *Geminorum* tanta efficacia, quòd cum illo *culminent Capella, Rigel, Tauri Cornu, Orionis Humeri, & Balteus, Lepus, Columba Noæ*, aliæque multæ, & magnæ Stellæ : *quarum vis adeò eſt inſignis ; ut ſub Cœli Statu Hyemali, duo Planetæ poſiti in medio aut fine Sagittarii Pluviam aut Nivem producant, ad ipſum momentum quo* Geminorum *oppoſiti Gradus Imum Cœli occupaverint.*

(4.) *Stellæ*

(4.) *Stellæ Verticales* cujuſque loci, maximæ putantur eſſe virtutis; propter *Radios* earum *perpendiculares.* Conſulat Lector *Ptolem. Tetrab.* 2. *Cardanum* in locum, *Stadium* in *Tabulis Bergenſ.* & *Argolum* in *Pandoſio* ſuo *Sphærico.*

[a] *Tetrab.* 2. *Hippocr.* de *Aer.* & *Aq.*

[b] *Cardan.* in *Ptolem.* lib. 2. c. 1. Text. 2.

(5.) Deducit [a] *Ptolemæus, Climatum diverſitatem*, Varios Gentium mores & inſtituta, diverſitatem Aëris, Corporum Humanorum, & Animalium uniuſcujuſque Regionis, à diverſâ Συνοικειώσει, ſive Συμπαθείᾳ Phyſicâ & Naturali, quæ eſt inter illa, & *Zodiaci Dodecatemoria, Aſtráque* tam *Fixa*, quàm *Errantia*; quorum Vim etiam hac in re apertè agnoſcit *Tetrab.* 2. 4. ſub fin. A *diverſitate* enim [b] *Horizontis* uniuſcujuſque loci, continuò exhibentis diverſum Cœlorum Σχῆμα, novámque Fixarum Faciem, aliqua quoque hujus rei ratio eſt petenda; nec *ſolummodò* à diverſo Angulo incidentiæ *Solis, Planetarúmque.* Et forſan cum *ſummitates* Montium non eundem, *ſenſu Aſtrologico*, habeant *Horizontem*, cum Vallibus infrà poſitis: nihil mirum eſt, ſi nec eandem habeant Aëris conſtitutionem. Immò *diverſitas Climatum* in tantum Aſtris eſt tribuenda; ut ex *Fixarum Motu in Conſequentia partim* deduci poſſint, mutationes inſigniores Aëris alicujus Regionis à priſtino ſuo ſtatu; Novi Morbi; Mores Incolarum in pejus meliúſve mutati; & quod eſt *Naturalę* (ſiquid ſit) in Rerumpublicarum Converſionibus quod [c] *Cicero* ſe à *Platone*, *Philoſophiáque didiciſſe* teſtatur; Magnúſque [d] *Verulamius*, (Ingenium illud, quod ſolum Orbis ſcientiarum Imperio ſuo par habuit) à Decretis Stellarum *aliquommodò* pendere autumat.

[c] De Divinat. lib. 2. vid. *Claude Duret des Cauſes des Decadences des Monarchies.*

[d] De Augment. Scientiar. lib. 3.

(6.) Sub Sphærâ Rectâ eſt idem ferè *Aëris Status*, Conſtans, & (ut Metaphorâ ab *Harmoniâ* petitâ quæ *Geometriæ* eſt propago, utar) quaſi *Uniſonus*. Sub *Sphærâ* autem *Obliquâ*, quò magis ab *Æquinoctio* receſſeris, eò magis fit

Anomalus,

Anomalus, & Ventorum, Aëriſque *Varietati* obnoxius: *diverſo Horizonte*, diverſimodè Aërem ſtringente; prout Nervi Fidium diverſos edunt ſonos pro diverſâ eorum intentione. Sub *Sphærâ Rectâ* Aëris Conſtitutio eſt *Regularis*; quòd una ſemper ibi ſit atque eadem Cœli Facies, omnibus Aſtris orientibus & occidentibus, Anguliſque ad Horizontem rectis, eodem ſemper modo Aërem afficientibus. A Sphærâ *Obliquâ* ad *Parallelam*, ſunt *variæ* Aëris *viciſſitudines*, propter *variam Cœli Faciem*, ex *diverſâ Poli elevatione ortam*. Unde etiam fit ut *Horizon* à Fixis diverſimodè terminetur; & pro varietate Angulorum, quos obliquos efficit, diverſimodè Radios reflectat, & Aërem modificet. Sub Sphærâ tandem *Parallelâ*, neceſſe eſt ut ſit Aëris inſignis intemperies; etiam quòd in iſto ſitu magna pars Stellarum Fixarum ſub Horizonte perpetuò deliteſcat; à quibus Aër moderatur & temperatur, non minùs quàm à *Solis* Planetarúmque motu; quod etiam fatetur *Varenius Geograph. General.* lib. 2.

XXII.

Effectus Aſtro-Meteorologici certiſſimè prædici poſſunt, ad Punctum Horæ, immò & Puncti Minutias: cùm a certis & ſtatis Cœli cauſis dependeant.

EVentus autem Prognôſi non ſemper reſpondent; quia Ars iſta nondum ad maturitatem pervenerit, ſed contemptu diu & irriſa, neglecta jacuerit, nec junctis opibus ſtudiiſque promota fuerit. Unde tanta eſt Obſervationum Meteorologicarum penuria; quæ tamen hujus Artis Fons, & Fundus, ut rectè notatum *Ptolemæo Tetrab.* 3. 1. Quin & ex [a] Ignorantiâ Motuum, qualitatúmque Corporum Cœleſtium; ſed imprimis, ex infinitâ varietate Naturæ Cœleſtis, in cujus artificio πολυποίκιλος Θεȣ Σοφία quammaximè elucet: fit ut Prædicta eveniant tantùm pro humani Ingenii

[a] *Ptolem.* Tetr. 1. 2.

genii modulo; & ſecundùm Formulam Veterum Ephemeridum, *Plerúmque*, & ὡς τὰ πολλά. Sæpius quoque hac in re erratum eſt, Artificis, quàm Artis Vitio; dum aut promittit, quæ præſtari non poſſunt; aut quæ ſunt in hac arte varia, animo non complectatur; aut non retineat: quæ [a] *Ptolemæo* judice, ſunt Artificum errata maxime vulgaria.

[a] *Ptolem.* Tetrab. 1. 1, 2. οὐκ ἐφύλαξαν δὲ τῇ μνήμῃ διὰ τὸ δυσφύλακτον. καινοδοξεῖ περὶ τὴν κατάληψιν καὶ τὴν γνῶσιν τῶν ἀκαταλήπτων. μαθήσεως μεγάλης καὶ πολυμεροῦς οὔσης κ' λ'.

ΚΑΡΠΟΣ:

ΚΑΡΠΟΣ:

SIVE

APHORISMI

Aſtro-Meteorologici,

Quibus per Prioris

DOCTRINÆ PRINCIPIA,

Ratio redditur inſigniorum aliquot

NATURÆ EFFECTUM.

De Natura & Qualitatibus Menſium Anni.

I.

Status & Conſtitutio Aëris ordinaria & regularis, *ſecundum communem naturam menſium, & quatuor Anni Tempeſtatum; dependet quidem potiſſimùm à* Sole & *à* Venere & Mercurio *perpetuis* Solis *Aſſeclis: nec minùs tamen à* Stellis Fixis, *quæ in Globo Cæleſti miro ordine diſponuntur à ſapientiſſimo omnium Opifice, ad generandam Temperiem Aëris cuilibet parti Anni propriam & convenientem.*

FAtemur *Solem* eſſe *Cauſam præcipuam* viciſſitudinum quæ in ſingulis Anni partibus cernuntur; & exinde fieri ut *eædem quidem in genere redeant viciſſitudines cum Sole*, licet ſidera ſedibus ſuis priſtinis exceſſerint, oriantúrque menſibus ſequentibus: & tamen nullo modo eſt diffitendum *particulares menſium qualitates quoad gradus Frigoris & Caloris, Humiditatis & Siccitatis, in ſæculorum decurſu varias fuiſſe, pro diverſâ Fixarum migrantium, ſuccedentiúmque naturâ & indole*; quod fatetur *Stadius* in *Tabulis Bergenſibus*; & teſtatur experientia, licet hoc non uſquequàque obſervatum, aut memoriæ traditum fuerit. Contemplabimur igitur paulò accuratius *Divinam Fixarum* in Cœlis *diſpoſitionem*, pro hodierno earum ſitu, menſiumque noſtri *Climatis* ingenio, minimè dubitantes quin Sapientiæ veſtigia non minora ſæculis anteactis deprehendi potuiſſent, ſubſecuturíſque clariſſimè comparitura, ex conſideratione qualitatum quæ in poſterum contigerint, Stellis longiùs progreſſis. Hoc autem per ſingulos Anni Menſes percurrendo, quaſi digito monſtrare

monſtrare conabimur; à *Septembri* exordium ſumentes, quòd tunc fiant maximæ flectentis Anni viciſſitudines.

Menſis *Septembris Horæ Matutinæ*, ſunt utplurimum paulò *tepidiores*; propter Vernas, Æſtiváſque Conſtellationes, quæ ortum *Solis* præcedentes, Aërem calidiorem reddunt. *Frigus* tamen ingruere ſentimus; & *Ala Virginis* gradatim *declinans* Verſus *Eclipticam*, vel ſenſibus clariſſimè monſtrat, non *unius Solis*, ſed *Fixarum cum Sole Declinationem*, *Frigoris eſſe cauſam totalem*, & *completam.*

Octobri, *Sole* magis cadente, creſcit & Frigus; at ſenſim labentibus quoque & Fixis; locáque verſus *ſeptentrionem* Stellarum vacua relinquentibus. Eſtque priori menſe minus tepidus, quod nullæ hic appareant Stellæ *Borealis Declinationis*; quæ in priorum Menſium *Aſteriſmis Zodiacalibus* vel ultrà *Tropicum* frequentes emineant.

Novembris, eſt Menſis *Hyemalis*; *Fixis* verſus *Tropicum* ſe recipientibus; & quàm pauciſſimis earum, *Auſtralem Equinoctialis* partem illuſtrantibus. Eſt tamen *Octobri* utplurimùm paulò *tepidior*; propter crebriores Stellas in *Serpentario*, *Hercule*, & *Draconis Capite.*

Decembris eſt *Frigidus* propter loca Fixarum vacua; & *Galaxiam*, quæ hic non unam ſemitam aperit. Eſt tamen frequenter pluvius; & ſæpe, non adeò pruinoſus ac menſes aliquot ſubſequentes; propter ſuos *Sagittarii*, *Aquilæ*, *Antinoi*, & *Lyræ* Aſteriſmos; non minùs quàm ex *Oppoſitione* Illuſtris Aſteriſmi *Geminorum*, qui hujus menſis, non minùs quàm præcedentis, Tepores augere videtur.

Januarius Hyemat. Eclipticâ jam diſcedente à *Tropico*; cujus vel *Situs* validus eſt. *Frigidus* quoque eſt & *Februarius*;

rius; quamplurimis vacuis interſtitiis præſertim poſt *Pegaſum*, hîc ſe prodentibus; cujus quoque & Stellæ laxæ ſunt & hiantes. Eſt tamen *Turbulentus*, quòd hic *Ecliptica Equinoctio* accedat; Stelláque in *Aquarii manu*, & *alter Piſcium*, *utrúmque* Circulum attingant; qui ſitus eſt admodum turbidus. Quin & *Sol*, quod nullo modo eſt prætereundum, in *Piſcibus* degens, opponitur *ultimæ Leonis Decadi*, & *principio Virginis*, quæ Stellæ *Æſtate calidæ cum ſint*, *Hyeme per Oppoſitionem fiunt Turbidæ.*

Martius, *Frigus* ſuum debet Stellarum paucitati; quæ rariores hic apparent, cuilibet *Globum* vel leviter inſpicienti; ſeponat modò animo *Aſteriſmorum Formaturas*, Pictorum Poëtarúmque Fabulas. *Siccus* quidem eſſe poteſt, eo quod ſit *Frigidus*; *Turbulentus* tamen ſi qnid video, ob cauſam non ſimplicem.

1°. Ex eo quod *Sol*, ejuſque *Aſſeclæ* ad *Vernum Equinoctium* tunc accedentes; *Zodiaci loca Sola* pertranſeat, paucioribus Stellis conſita eíſque Frigidis, ex utrâque *Eclipticæ* parte, juxta ipſam *interſectionem Æquinoctialem*; quæ eſt inequieta & Turbida. 2°. *Sol* tunc *opponit* Stellas potentes in *Aſteriſmo Virginis*, ab ejus *Fronte* uſque ad *Spicam.*

Tempus pomeridianum hujus Menſis eſt quidem communiter paulò *tepidius*; non ſolum ob *majorem Solis elevationem*, ſed quòd *Verni & Æſtivi Quadrantis Stellæ crebriores*, *Meridianum poſt Solem ſucceſſivè tranſeuntes*, *Occidentalem Cœli plagam jam occupaverint ante ejus occaſum*; ſecus ac in *Februario* evenit.

Matutinum Tempus *Aprilis*, eſt *pruinæ obnoxium*, quia *Conſtellationes Hyemales* quæ ſunt minùs calidæ, ortum *Solis* præcedunt; nec eſt tamen *valdè frigidum*; ob *Solis* ele-

elevationem, & propter Stellas numeroſiores à *Capite Arietis* ad *Eridani fluvium* pertingentes; ipſúmque *Tropicum*, *Æquinoctialem*, & *Horizontem*, quaſi nexu quodam forti & potenti conjungentes; unde, non minus quàm propter *Pleiadas* & *extremitates Caudæ Arietis*, hujus Menſis pluvia.

Tempus *pomeridianum* hujus Menſis, ipſáque adeò *Veſpera* poſt Solis occaſum, *lene quid ſpirat tepidúmque*; *Sol* enim Aſteriſmos illuſtriores præiens Aërem demulcet, & *Horizontem* jam ſubiens eos pænè totos poſt ſe relinquit.

Maii *Matutinum* Tempus eſt *ſubcalidum*; *Pleiadibus Hyadibúſque* cum *Sole* orientibus; *Eridánique* fluvio duabus circiter horis appulſum *Solis* ad Meridianum prævertente, & Aërem temperante. *Orionis* mox *Clypeus*, & *duo ſplendidi Aurigæ Humeri* ſuccedentes, *Poli Septentrionalis* Frigus arcent; dum *Orionis Humeri*, & *Balteus*, & *Lepus*, Auſtri calores augent. A Temperato hujus menſis calore, vacúiſque quibuſdam Interſtitiis, quæ locum dant ventis à *Boreâ* refrigerantibus & placidis, provenit camporum læta viriditas, & Ros purus ſalubérque hujus menſis, qui ſub *æſtuante Zonâ*, prout teſtantur nautæ eſt Morbidus, Ulcera, & Puſtulas producens.

Maius enim in noſtro *Climate* non eſt ob morbos infamis, niſi ex *extraordinario* Corporum Cœleſtium poſitu calor accedat, qui *adverſetur naturali ejus Temperiei*, *ortæ à certâ Solis elevatione*, *Fixarúmque Stellarum diſpoſitione*. Unde potiſſimùm hujus, aliorúmque Menſium *Status Naturalis*.

Frequentes hujus menſis Imbres, proveniunt præcipuè à *Pleiadibus*, & *Hyadibus*, modico tantum intervallo à ſeinvicem

vicem disjunctis; quò fit ut vim ſuam *ſæpius* communicent. Ultimâ hujus Menſis *Hebdomade* per duos ad minimum, aut tres dies, pluviam expectare poſſit Agricola, ob *oppoſitionem ſtellarum in Ophiuchi Crure. Horæ nonæ antemeridianæ Calor*, eſt intenſior quàm præcedentis menſis; quòd Sol tunc juxta *Hyadas* poſitus, pœnè in *medio numeroſæ Stellarum Cohortis* verſetur. *Meridiei* calor eſt *æſtivus* admodum, ob Solis verticitatem jam imminentem; & *Pomeridianum* tempus *Calidius* quàm antea ob occaſum Veſpertinum *Hyadum:* & tamen, quod non leviter eſt prætereundum, hujus menſis *noctes* ſunt *pruinæ* magis obnoxiæ quàm *Aprilis*; quòd ante decimam noctis Horam, *Tota* pœne iſta *Stellarum Cohors Horizontem* jam ſubiverit.

Junius eſt *Calidus* ob Solis Verticitatem, & crebriores ſtellas, præſertim in *Geminis*; & Calendaria Meteorologica conſulentibus patebit, *Pluvioſum* illum non minùs eſſe, quàm Calidum; tanta Tropicorum vis eſt. Divinâ autem Providentiâ factum eſt ut Solis Verticitas hic etiam temperaretur Interſtitiis Stellarum Vacuis, hinc inde verſus *Boream* & *Auſtrum* ſparſis &. collocatis; ad *Univerſi* Temperiem, ut quilibet Terræ tractus ſaltem incolis eſſet habitabilis, utque *Æteſiis* â *Boreâ* hoc menſe ſpirantibus, locus detur. *Ad horam octavam matutinam*, tota Aſteriſmorum Cohors jam Signa movit; Sole cum *Sirio* agmen claudente; unde iſta diei hora æque calida, ac *nona* menſis præcedentis; quod probè notandum. *Medii* diei horæ æſtuant quidem; at *octava* & *nona veſpertina* de prioris menſis calore paululùm remittunt; quod maxima Aſteriſmorum pars Horizontem ſubiverit paulò ante Solis occaſum. Hinc quoque & noctes hujus menſis ſunt pruinæ obnoxiæ, licet à paucis niſi à Ruſticis diluculò ſurgentibus obſervetur; quorum etiam vigilantia falli ſoleat, ſolutâ jam pruinâ à Stellis Solis ortum præcedentibus. Sub *Horam ſecundam poſtmeridianam*, totus

Occidentalis *Meridiani* Quadrans Aſteriſmis iſtis fulgidis occupatur, unde & *ſecunda Hora poſtmeridiana*, *ipſo Meridie eſt calidior.*

Menſis *Julii* eſt totius Anni *calidiſſimus*; quod antiqui *Sirio* tribuere ſolebant; qui tamen in *noſtro Climate* circa medium menſis cum Sole oriens; breviore gyro circumactus, *Horizontem* ſubit ante tertiam Pomeridianam; & Solem tàm ſubitò relinquens, caloris adeò intenſi *cauſa præcipua* eſſe non poſſit; quicquid aliter fiat in *regionibus Auſtralioribus.*

Decem priores Dies hujus menſis ſunt frequenter *temperati*; ob vacua Interſtitia verſus *polum Septentrionalem*; reliqui ſequentes *æſtuant*, interſtitiis jam mirum in modum clauſis & repletis, à *Stellis Informibus* (quas in reliquis menſibus præter *Auguſtum* fruſtra requires) *Cancro* & *Leoni* imminentibus, medio ſpatio inter *Zodiaci Aſteriſmos*, & *Urſam majorem*; quæ etiam Poli Frigus propellit, Aëremque calefacit. Inſignis enim iſta, notáque admodùm Conſtellatio, (quod de reliquis etiam Aſteriſmis intellectum velim) prope *Polum* collocatur; non in Feraram gratiam quæ *Greenlandiam*, *Novámque Zemblam* occupant, ſed in Univerſi uſum, non minùs quàm Cœlorum ornatum; curſum enim ſuum cum æſtivis Conſtellationibus *Leonis* & *Virginis* perficiens, *aliqualis* ſaltem cauſa eſt cur *Julius*, *Junio* ſit calidior.

Hoc menſe *Pruina rarior* eſt quam in præcedente, quia magna pars Cohortis Stellarum quæ Solis ortum præcedit, *primo mane* oritur; & circa ſextam horam matutinam æſtivum calorem procreant; *Primâ Arietis*, aut *Nodo Lini* ipſum *Meridianum* tunc occupante. *Poſtmeridiem* circa *Horam primam*, dies maximè æſtuat, *toto Hemiſphærio* tunc repleto

repleto à Vernis Æſtiviſque Conſtellationibus; *Veſpertinum* autem Tempus eſt utplurimùm *Temperatum* & *Frigidiuſculum*, *duabus circiter horis ante occaſum* Solis; quod tunc omnes iſtæ ſtellæ infra *Horizontem* ſubmerſæ ſint.

Menſe *Auguſti*, *Tota iſta inſignis & fulgida Aſtrorum Cohors*, ne *Sirio* quidem excepto, Ortum ſolis prævertunt. Hinc Temporis *Matutini*, *vel quinta hora* aliquantum æſtuat, & *Ventus Orientalis* in pleriſque *Climatibus* ſpirans, noxam affert; *Ceto*, *Eridano*, *Ariete*, *Perſeo*, aliiſque Stellis *Meridianum* tunc obſidentibus. *Meridies*, non obſtante *Solis Declinatione*, tunc æſtuat ferè non minùs quam Menſe *Julii*; Aſteriſmo *Leonis* mirum in modum furente; nonnullis è Stellis ejus Tropico accedentibus; aliis, Eclipticæ: qui Situs eſt calidus. Circa *horam* tamen *quartam poſtmeridianam Aura placida & lenis ſpirare ſolet*; Conditoris Providentiâ ſic ordinante, ad Meſſorum Calores refrigerandos, levandóſque. Tunc enim non modò maxima Aſteriſmorum pars *Horizontem* ſubiit, ſed & quamplurima Vacua Stellarum Loca, *Occidentalis*, *Orientaliſque Hemiſphærii Quadrantes* occupârunt.

II.

Status Aëris Extraordinarus, & Irregularis, *præter ſolitam Menſium, Annique rationem & naturam; petendus eſt non à* Sole, *ſed à* reliquorum *Planetarum poſitu*, *præſertim reſpectu Signorum Borealium, Auſtraliúmque: & ab eorum acceſſu, aut receſſu à Sole; Tarditate, Statione, Retrogradatione, aut nimiâ à ſeinvicem diſtantiâ.*

ISTE Aphoriſmus (cujus ratio facilè peti poſſit, ab iis quæ ſuprà diximus in Aphoriſmum XIII.) apprimè eſt notandus, cum multa nos doceat ſcitu digna. Signa *Hyemalia* propter *diſtantiam à perpendiculo* ſunt minùs calida:

quod vel ex menſtruo Lunæ tranſitu, præſertim in Æſtate, ſatis patet: " *Sentimus enim Auram frigeſcere, calore diur-* " *no paulatim ſe remittente, cum illa in Libram deſcenderit*; " *& indies Friguſculum creſcere, donec Signa Septentrionalia* " *rurſus invaſerit.* Quod ſi ergò *Æſtate*, *Superiores Planetæ* fuerint in *Signis Hyemalibus*; erit *Æſtas ſolitò frigidior*; maximè cum Luna illis acceſſerit: Sin autem *Hyeme* fuerint in *Signis Hyemalibus*, erit *Frigus ſolitò acrius*; præſertim ſi non *debitè diſtribuantur*, ſed in *Spatium arctius* concludantur. Superiores etiam, *Æſtate* tenentes Signa *Æſtiva*, calores ejus augent; *Hyeme* autem *eadem Signa* occupantes, non multum caloris efficiunt; quòd ſint in *Statu Deſerto & Solitario*: niſi quando Inferioribus opponantur, in Locis Cœli calidioribus, & efficacioribus. Ex *debito acceſſu* Planetarum ad ſeinvicem Calorem gigni; & ex eorum *receſſu* Frigus intendi jam notum eſt: & *Stationes*, *Tarditatem*, *Retrogradationeſque* Planetarum, præſertim *Veneris* & *Mercurii*, Æſtatis Calores augere, ſatis jam docuimus. Notandum tamen eſt admodùm diligenter; *Vernum tempus*, *tardiùs appetiturum*; cùm *Venus* & *Mercurius* Solis perpetui Comites, in Signis Hyemalibus diutius morentur; & motu Retrogrado, iter Hyemale pluſquàm unâ vice emetiantur: & *præproperum* Veris adventum prænuntiari certò poſſe, quoties Signa Verna ante Solem occupaverint; præſertim ſi Mars eorum adventum ibi præſtoletur. Et ex hujus Aphoriſmi diligenti perceptione ratio reddi poſſit, cur Annorum Temperies ſint adeò diverſæ; quod vulgus tanquam Seneſcentis Naturæ vitium demiratur: cùm tamen Cæleſtis Naturæ varietati ſit omninò imputandum; quæ certa eſt & regularis, & per vices rediens, licet hoc ab illis non obſervatum fuerit. Reſpiciunt ſcilicet illi Annorum Septenarium proximè elapſum; cùm altius repetenda eſſet eorum memoria; nempe ab ultimo Jovis & Saturni congreſſu; aut à ſimili poſitu Trium

Superiorum,

Superiorum, centenario forſan proximo, aut amplius elapſo. *Sub eiſdem enim Superiorum Aſpectibus, eædem ferè redeunt Viciſſitudines Majores.*

Iſtis autem Aphoriſmis, duo ſubſequentes, tanquam Corollaria adjici poſſint.

(1°.) Vis Aſpectuum Particularium determinatur à Generali Anni Conſtitutione. Unde fit ut *iidem* Aſpectus *diverſis* menſibus, *diverſa* gignant Meteora; Pluviam nimium & Nivem; propter *diverſitatem Generalis Conſtitutionis Menſium.*

(2°.) Vis *Aſpectuum Particularium* impeditur, & abſorbetur à *Generali Anni Conſtitutione*; quòd ſit fortior. Unde fit, ut Menſes Hymales, & Pluvioſi, nonnunquam ſicci ſint, etiam ſub Aſpectibus pluvialibus; propter fortiorem reſiſtentiam Generalis Aêris Conſtitutionis.

De

De Morbis Epidemicis, & Peſte.

I.

Ratio & Experientia ſuadent; & Philoſophi, Medicique Peritiores ultro fatentur, Vitam, Morbos, ipsámque adeò Mortem, à Corporibus Cæleſtibus quodammodò dependere.

UT autem iſta melius percipiantur, Viâ & Ratione eſt procedendum, & totius rei ſumma paulò altius repetenda.

Vis Corporis *Vitalis* & *Plaſtica*, eſt *Calidum quid & Spirituoſum, Semini inexiſtens, quo Fœcundum redditur; non Ignis (quo nullum naſcitur Animal) ſed Spiritus, & in Spiritu Natura* Ἀνάλογος τῷ τῶν Ἄστρων στοιχείῳ; prout divinitus ſcripſit *Ariſtoteles* in Opere admirando de [a] *Generatione Animalium.* Quibus Verbis diligentiſſimè penſitandis, *Philoſophus* clariſſimè diſtinguit inter *Semen*; & *Calidum illud* (τὸ Θερμὸν) *in Semine, quo fœcundum redditur*: quod etiam conflari dicit, *non tantùm ex Spiritu*, ſed *ex Naturâ in Spiritu, quæ ſit Elementis quid Divinius, & Aſtrorum Elemento reſpondens.* Quibus Verbis intelligit, *Calorem Cæleſtem* (nam *Ignis* illi cum ſit denſior, & fomiti immixtus, *depaſcit*, non *generat*) *Solis, reliquorúmque* [b] *Aſtrorum*, quæ in Univerſo vices *Genitoris* præſtare alibi affirmat.

Et fatentur quidem *Medici*, qui ſubtiliùs iſta rimati ſunt, illud quod in *Semine fœcundum eſt*, eſſe Θειότερον quid; *Incorporeum* nimirum, *Momento Temporis quaſi Contagio quodam fœcunditatem afferens; Communes rerum Vires, ſuáſque adeò ſuperans, ut non tàm propriâ, quàm Divini Opificis virtute* agere

[a] 2. 3.

[b] *De Generat. Anim.* 2. 3. ἡ δὲ τοῦ ἡλίου θερμότης καὶ ἡ τῶν ζώων. & 1. 2. & 4. 10.

agere videatur: quod multis in locis teſtatur [a] *Harveus* noſter, ſolers & fœlix Naturæ Indagator.

[a] De *Generat. Anim. Exercit.* 40, 49, 50, 71. & de *Conceptione* ibid.

Sunt enim *Prima Rerum Principia*, in quantum in Conſpectum cadunt, exigua admodum, effectibus producendis longè ignobiliora, diſparilíſque omninò ab iis Naturæ, & Conditionis; ut à Cauſis Secundis ad Primam, à Terreſtribus ad Cœleſtia, à Senſibus ad Mentem, eámque Divinam gradatim evehamur, cujus Virtute omnia agunt, & moderantur. Nam ut demus, quod eſt in Semine Θεῖόν τι, eſſe nihil aliud, quàm Subtiliores, Rariores, & pænè Igneas Sanguinis partes, quas [b] *Spiritus* vocant: at quis qui diligentius rem conſideraverit, putaret *Punctum Vitæ ſaliens, minimam illam Ignis ſcintillulam, & Viſum prorſus fugientem*; ab exiguis adeo initiis, & fundamentis modicis, propriâ ſua virtute fabricari poſſe Domicilium ſibi adeò pulchrum & concinnum? Non igitur immeritò Cauſam hujus rei Sublimiorem, Diviniоremque quæſivit *Philoſophus*: Philoſophorum enim *Vetuſtiſſimorum* neminem fuiſſe putamus, (quod notatum [c] *Dodwello* noſtro) *qui Naturæ Phœnomena ſine Divinioris Principii, non condentis modò verum etiam moderantis influxu, nec eo ſolùm univerſali, ſed cum ſingulis etiam particulari, explicari poſſe crediderit.* Et qui [d] *Naturam* penitius ſcrutantur, faſſi ſunt longè majus intus latere, quam foris appareat; intimáſque Rerum Eſſentias eſſe quammaxime Spirituoſas, *Virtutes* potius quam *Subſtantias*, & agili ſubtiliſſimæque *Lucis* Naturæ quamproximè accedere, ageréque Divinâ potius virtute, quam ſuâ & Naturali; iſtiuſmodi ſaltem, cujus Natura ſit nobis cognita & explorata.

[b] *Harveus* de *Generat. Bettus de ortu Sanguin.*

[c] *Prolegom. Apologet.* ſect. 3.

[d] *Plato Sophiſt.* τὰ φύσει λεγόμενα ποιεῖσθαι θείᾳ τέχνῃ. *Ariſtot.* de Partib. Animal. 1. i. vide quoque quæ collegit *Cudworthus* in *Syſtem. Intellect.* pag. 150, *&c.*

Bartholin. De Luce Animal. & *Wirdigius de Medicin. Spirit.*

Et certè [e] *Spiritus*, Sanguinis Flos & Fructus; habent quid *Aſtris cognatum & congenerum*: Luminis enim adinſtar momento diffunduntur, & Luce gaudent & refocillantur.

[e] *Bettus de Ortu Sanguin.* ſect. 9.

[a] Conceptûs autem Partûſque Tempora (ut propius ad inſtitutum noſtrum accedamus) Periodis *Solis* & *Lunæ* gubernantur & menſurantur: *Tempeſtatéſque certas*, Animalia ſibi ad *opus Veneris* ideò elegiſſe videntur, *ut à varietate Anni ſuppleatur ad Generationis actum, quod propriis viribus efficere non poterant:* quod in variis Animalium generibus optime oſtendit [b] *Velthuſius.*

Ptolemæus acutiſſimè in hanc rem notavit (*Tetrab.* 3. 2.) Duo eſſe Humanæ Generationis Principia; *Conceptio* nimirum, & *Partus*, ſive *Fœtus Excluſio*, quam *Nativitatem* vocant. *Conceptum* aſſerit qualitates Corporis, Animíque accipere ab illo Cœlorum *Schematiſmo*, qui in Conceptionis momento fuerit: at cum illud ignoretur, iſta monet eſſe petenda à tempore quo *Fœtus excludatur:* quòd ſimilem habeat Cœlorum Conſtitutionem, cum Momento Conceptionis. Quod verum eſſe non modò docent [c] *Aſtrologi*; ſed & Vir Doctus, & Gravis Philoſophus [d] *Federicus Bonaventura* in Tractatu erudito de *Partu Octimeſtri*; ubi totum hunc *Ptolemæi* locum latè expendit, & ad examen revocat: aſſeritque, *Fœtum* (poſtquam *maturuerit*) *vitalem nunquam exire, niſi cum Cœli Facies reſpondeat primæ Conceptûs Conſtitutioni.* Tàm arcta eſt Συνοικείωσις inter Terreſtria & Cœleſtia, ut Sublunarium ortus & perfectiones dependeant à συμπαθεία quæ eſt inter Similes Cœlorum Schematiſmos: cujus aliquod quoque indicium eſt, quod *plerúmque cognatis eædem ſint Conſtellationes*; & *hominis natura alacrius excitetur, quoties Planetæ ad ea loca veniunt, quæ naſcenti Homini vel oriebantur, vel Solem Lunámve hoſpitio exceperant*; quod agnoſcit [e] *Keplerus. Quæ non aliter fieri poſſe putat, quàm per impreſſionem Characteris, totiuś poſitûs Cœli, non in Corpus quod craſſius eſt quàm ut recipiat impreſſiones tam ſubtiles, ſed in ipſas Hominis Facultates Animales.* Quamprimùm in lucem prodit Infans, incipit alterum Vitæ principium, *Tempore* quidem *poſterius*, at *perfectius*, & dignitate

[a] Vide omnino *Federic. Bonaventuram de Octim. Partu.*

[b] *Velthus de Generat.* cap. 5.

[c] *Cardan.* in locum *Morinus.*

[d] Lib. 10.

[e] De Trigon. Ign. cap. 10.

tate *nobilius* ; cum illud fuerit [a] *Seminis* tantùm *Generatio*, hoc autem *Hominis.* Et cum *Fœtus* dum eſt in utero, non *ſuam*, ſed *Matris* Vitam vivat ; *Infantis Vita* tunc inchoare eſt exiſtimanda, cum *ſuas* Facultates exerit, Hominis proprias, [b] quáſque antea edere non potuit. Sed quocunque demum modo iſta fiant, Infans quamprimum auram Vitalem trahit, Cœleſti luce perfuſus, recipit Virtutes & Diſpoſitiones, reſpondentes Aſtrorum *Schematiſmo*, qui in Partûs momento fuerit; quæ tàm altè inſident, ut per totum Vitæ tempus maneant, & diverſæ ſunt in hominibus pro diverſo momento ortûs eorum,

[a] ἐκείνη μὲν ἐπὶ γένεσις ἀνθρωπείου σπέρματος, ταύτη δὲ ἀνθρώπου. Ptolem. 3: 2.

[b] *Cardan.* in locum & *Feder. Bonavent.*

——Diſtat enim, quæ
Sidera te excipiant, nunc primos incipientem
Edere vagitus, & adhuc à Matre rubentem.

[c] *Martem in Horoſcopo audaces facere* aiunt ; *in octavâ domo morti violentæ obnoxios* ; *& qui ſub* δορυφορίᾳ *Planetarum naſcuntur copulari poſſunt veluti faſcino quodam cœtus hominum*, inquit [d] *Keplerus.* Nam ut demus *Cardanum mortem ſuam inediâ acceleráſſe, ne artem contumeliæ exponeret, quod aſſerit* [e] *Scaliger*, *creditúmque fuiſſe* affirmat *Thuanus :* certè tamen, [f] *Johannem Maginum* ſummum Mathematicum, *mortuum fuiſſe Infeſtis Solis ad Corpus Martis, quos ſibi prænoverat, obtutibus* ; teſtatur ejus *Epitaphium*, ab *Antonio Roffeno* conditum ; qui & *Ricciolo*, Almageſti novi Auctori, aſſeruit ſe tunc morbo decumbentem, moriturum ex eo ; ſic enim *Geneſin ſuam & Climactericum annum requirere.*

[c] *Morinus Aſtrol. Gallic.*

[d] *Harmon.* pag. 172.

[e] *Prolegom. ad Manil. Thuan. Hiſt.*

[f] *Ricciol. Almag.* in *Chronic. Aſtron.*

Pico Mirandulano, de Aſtrologiâ triumphanti, in artis ſuæ vindicias, mortem prædixit *Lucius Bellantius*, ob directionem *Horoſcopi* ad *Corpus Martis*, Anno ætatis ſuæ 33. & reipſa illum obiiſſe Annos totidem natum affirmat [g] *Ricciolus.* Quæ *Cardinali Richeliæo*, *Regi Sueciæ*, *Thuano*, & *Gaſſendo* artem ſuam impetenti, prædixit [h] *Morinus* ab ipſo

[g] Ibid.

[h] Vid. ejus vitam & Aſtrolog.

peti poſſint. Nolo enim ego Artis *Genethliacæ* patrocinium in me ſuſcipere, (in cujus doctis erroribus ut cum *Camdeno* & *Verulamio* loquar, ipſe paululum tantùm verſatus ſum) cum multa contineat, prout communiter traditur, vanitatis & mendacii pleniſſima; nullo veriſimilitudinis fundamento innixa; ut videantur potius eſſe ἀπατεώνων Δαιμόνων præſtigias, quàm Philoſophiæ rectæque Rationis Principia; quibus, vel Judice [a] *Cardano*, *quantum Aſtrologus adhæret, tantum verax eſt:* & tamen, ut verum fateamur, Ars [b] iſta ϛοχαϛικὴ, quæ tam ſæpe à ſcopo aberrat, non eſt adeò contemnenda, ac multi viri docti exiſtimant; qui plerúmque inexperti & inſueti, ad artem hanc impugnandam accedunt. Nam exempla quæ modò retuli, aliáque benè multa, quæ feſtinans prætermiſi, tanti apud me ſunt; ut minus mirer, Viros doctos & pios huic arti aliquid operæ dediſſe: *Magnumque Thuanum* [c] tantoperè à *Grotio* efflagitâſſe Virorum eruditorum *Horas Fatales*; quas in Hiſtoriâ ſua diligenter adnotavit; quémque imitari, ſpero, non dedignabuntur minorum Gentium Hiſtorici. Nam minutias Temporum in quibus quæque majoris momenti evenerint, ſcire multum intereſt; tùm ad cauſas rerum inveſtigandas, tùm ad ſimiles caſus prævidendos, præcavendoſque: nam *Divina Providentiâ factum eſſe* autumat [d] *Thuanus Vir* gravis, pius, & prudens; *ut inſignes caſus ſive prudentia inſita à Viris bonis, ſive metu præſago ab obnoxiis, ſive artis ſuæ peritiâ, ſiqua eſt, à Mathematicis, ferè præſignificentur; ne ſe non monitos eſſe cauſſari homines, aut moniti ad ferenda quæcunque erunt, ſe comparare non poſſint: quod à* Thuano *diligenter locis ſuis* (quæ à me vitam ejus legente animadverſa, nunc memoriæ non occurrunt) *obſervatum eſt.* Medicinæ Parens [e] *Hippocrates* fatetur *Aſtronomiam* ad Artem ſuam *quamplurimùm* conferre: & ſæpè monet ut Aſtrorum ortus & occaſus, Venti, & diverſæ Aëris καταϛάσεις diligenter obſerventur, præſertim periculoſiſſima Anni Tempora, utrúmque *Solſtitium*,

[a] Aphor. ſegm. 3. 155.

[b] *Ptolem.* Tetrab. 1. 1. & alibi vide *Naudæi Judicium de Cardano.*

[c] *Grot.* Ep. 3, 4, 5, 6.

[d] De vitâ ſua, lib. 1. pag. 7.

[e] *Hippocr.* Aphor. de ſeptim. ſect. 6, 7, 8, 9. De Humor. ſect. 6, 7, 8. De Aërib. *&c.* ſect. 1, 2, 25, 30. & Epidem. 1. ſect. 1.

Solſtitium, & *Æquinoctium*: & ſummo cum Judicio Morbos dignoſci aſſerit; *ex Conſtitutione Generali, & Partiali Cœleſtium, & uniuſcujuſque Regionis.*

Fernelius, *Sennertus*, aliique *Medici*, qui *Hippocratis* ſui veſtigiis inſiſtentes, & magnâ cum laude Antiquorum peritiam æmulantes, *Aſtronomiam* cum Arte ſua conjunxêre; notârunt Κρίσεις *Morborum* ab *Aſtris* dependere: nec *Oppoſitos* tantum & *Quadratos* Aſpectus *Solis* & *Lunæ* in Morbis dijudicandis eſſe efficaces, (nam *Aſpectus* hac in re ſunt conſiderandi, non *Dierum numerus*, qui plures aut pauciores eſſe poſſint, pro tardiori aut velociori Lunæ motu) ſed *eoſdem* etiam *Lunæ* appulſus ad *reliquos Planetas*; &, quod *apprime notandum*, ad *Stellas Fixas quibuſcum conjuncta repeviebatur inchoante Morbo*: quarum,[a] *Hippocrate* teſte, magna eſt vis in judicandis Morbis. Docuit me Medicus Sagax & Exercitatus (quem ut modeſtiæ ejus parcam, non nomino) acutorum Morborum Criſes apud nos rarò *perfectas eſſe*; ſed cum inſigni in pejus humorum commotione; & ſæpe lethales. Obſervavit olim *Ariſtoteles* referente *Plinio* (Nat. Hiſt. 2. 101.) *Nullum Animal niſi æſtu recedente exſpirare.* Obſervatum quoque id *fuiſſe multum in Gallico Oceano, & in Homine duntaxat compertum aſſerit Plinius*: & *uſu deprehenſum eſſe in Maritimo Belgii tractu, eos qui obeſiore paulò Corpore eſſent, æſtu accedente periclitari: qui graciliore & ſicco, eodem recedente*, affirmat Vir doctus *Harduinus* in *Plinium* ſuum. *Plinii* Fidem approbat & confirmat frequentiſſima[b] *Caroli Piſonis* experientia, qui vix quempiam ex *Braſiliæ Incolis* (inter quos diu & cum laude *Medicinam* exercuit) *interiiſſe meminit accreſcentibus aquis, æſtûque in Plenilunium incidente, licet graviſſimos paroxiſmos tunc fuerint experti; pleróſque autem Pelago decreſcente extingui. Pleno & Novilunio, immò & Quadrantibus ſingulis, Corpora manifeſtas alterationes recipere agnoſcit, & dolores exaſperari: nec tantùm motum Solis diurnum, ſed & Lunæ quoque ſingulis ſex horis mutationes* evidentes

[a] De Aër. ſect. 30.

[b] *Hiſtor. Braſil.* de *Aëre, Aqua*, &c.

R 2

evidentes ſuſcitare. Immò & Partus excludi pelago decreſcente ab Obſtetricibus obſervatum fuiſſe, aſſerit: *quaſi* inquit *validiſſimæ hæ influentiæ, & occultæ Cœli qualitates eoſdem effectus naſcenti, & denaſcenti impertiri videantur; & hunc à Vitæ anguſtiis, illum à Carcere & Vinculis Uteri materni abſolvant.*

Sed iſta, aliáque huc ſpectantia [a] *Iatro Mathematicorum* diligentiæ relinquamus, quorum non ſolum apud Veteres *Ægyptios* magnus olim erat proventus, ſed & *Græcos* quoque & *Romanos*; quod fatetur *Galenus*, qui probat antiquiſſimis Græciæ Medicis, ipſique *Hippocrati*, Artem hanc cognitam fuiſſe. Quibus intelligimus non illa Artis, hominumque propudia, quos falſè ridet *Satyricus*;

[a] *Ptolem. Tetrab.* 1.3. *Galenus.* περὶ κατακλίσεως προγνωστ.

> —*Quorum ceu pinguia ſuccina tritas*
> *Cernis Ephemeridas.*

quique nè edere quempiam ſinerent, niſi Aſtra addicerent; ſed *Medicos* illos doctos & ſagaces qui *Medicinæ Aſtronomiam* adjunxêre; quales fuêre *Hippocrates* & *Galenus* qui non tantùm τὸ Γενεθλιαλογικὸν conſiderare ſolebant; ſed Corporum Cœleſtium [b] τὸ Καθολικὸν; eorumque ortus & occaſus, appulſus ad Medium & Imum Cæli, mutuóſque eorum aſpectus & habitudines; quas plurimùm valere, ad Humores Corporum irritandos, Vímque Morbificam commovendam [c] experientia ſatis teſtatur.

[b] *Ptolem.* 2.1. Tetr.

[c] *Hippocrat.* de dieb. Critic. & *Galenus*. *Maginus* in *Galen.* & de *Aſtrolog. in Medicin. uſu.* *Sennert.* Inſtit. cap. de *Dieb. Critic.* *Argol.* de Dieb. Critic. *Eichſtad.* *Feder. Bonavent.* de *Octim. Partu.* & *Salmaſ.* de *Ann. Climacter.*

II. *Morbi*

II.

Morbi Epidemici, *ipſáque adeò* Peſtis, *Divinæ Iræ Flagellum*, *producitur mediantibus Cœleſtibus Cauſis*; *quas* τὸ Θεῖον *vocat* [a] Hippocrates; *quo intelligit*, *iſtiuſmòdi poſitum Corporum Cœleſtium*, *unde Morbida Aëris Conſtitutio naſcatur*. *Quem poſitum* [b] *vocat* τὸ Ἄνω Εἶδος; *Phraſi Manilianâ*, *Cœli Faciem*, *Cœlúmque ſupernum*.

[a] Prænot. ſect. 1. *Galen.* in locum. vid. Foëſii œconom.
[b] Hippocr. Epidem. lib. 2. ſect. 1. pag. 997. & Foëſ. in locum.

SOlent quidem *Sacri Scriptores*, *Pietatis* incrementum potiſſimùm reſpicientes omnia *Deo* tribuere; *Cauſam* tantùm *primam* conſiderantes: at *Philoſophi Secundas* Rerum *Cauſas* inveſtigantes, eoſdem Effectus rebus creatis tanquam *Dei Inſtrumentis* meritò aſſignant, cùm ab illis *immediatè* producantur; Vi tamen à *Deo* acceptâ, & ad *Providentiæ* ſuæ fines determinatâ. Sed ut *Theſis* iſta meliùs percipiatur, tota res altiùs eſt indaganda. Notandum igitur, maximè communem, & frequentiſſimam Morborum Cauſam oriri ab [c] Aëre quem ſpiramus; & ſubitas, magnáſque ejus Mutationes, præſertim circa *Cœli Cardines* eſſe periculoſiſſimas; unde *Medici* poſt *Hippocratem*, ut ſuprà notavimus, fatentur *Solſtitia* eſſe periculoſa, maximè *Æſtivum*; & *Æquinoctium* utrúmque, magis verò *Autumnale*: quo tempore *Febrem Quartanam ferè ſemper ingredi*, obſervavit *Sydenhamus* noſtrâs; *Medicus*, ingenio & ſcriptis, non minùs quàm peritiâ celebris. Qui inſuper fatetur (quocum conſentiunt *Medici* peritiores) *Morbos Epidemicos*, ipſámque *Peſtem*, oriri à *corrupta*, aut *venenatâ Aêris* διαθέσει, *occultâ* tamen & *inexplicabili*: agnoſcit enim acutus ille & diligens Naturæ inveſtigator, *Morbos Epidemicos* eſſe Naturâ & Eſſentiâ valdè diverſos, pro diverſâ Aëris conſtitutione; & præter illos qui à *manifeſtis* Anni qualitatibus dependent, reperiri ſæpè alios, *Originis incognitæ*, & *occultæ*; nunc *regulares*, & per Annorum

[c] Hippocrat. de Flatib. pag. 197. edit Foëſii.

rum forſan vices redeuntes. Cùm autem *Sanitas*, ut acutè notatum [a] *Ariſtoteli*, conſiſtat in *æqualitate* & *mediocritate*; neceſſe eſt ut quicquid per [b] *Exceſſum* aut *Defectum*, Corpus de ſuo *Naturali Statu* deturbet; ſit illi noxium. Unde fit, ut *Exceſſus Caloris aut Frigoris* (quibus *Morbi* præcipuè ſuam debent originem) *Siccitatis* aut *Humiditatis*; *Statúſque Aëris Intempeſtivi* & *Inconſtantes*; Morbos inſolitos & graviores inducant. *Mutationes enim Tempeſtatum Anni potiſſimùm Morbos pariunt*; & *quales ſunt Tempeſtates, tales erunt & Morbi*, inquit Divinus [c] *Senex*.

Exceſſus Caloris, aut Frigoris, ſunt maximè noxii: quia *Calidi Vitalis*, & *Humidi Radicalis proportionem Naturalem excedunt*; Poróſque Corporis nimis *laxant*, aut *conſtipant*.

Status Aëris Intempeſtivi; in quibus ut [d] *Hippocratis* Phraſi utar ὧραι non ſe habeant ὡραίως & εὐτάκτως; pro ſolitâ nimirum & regulari Conſtitutione Partium Anni; ſed *Hyems* eſt *Veri* ſimilis, & *Ver Æſtati*, ſunt valdè noxii; quia non ſunt *Naturales*; διὰ τὸ μὴ ἐν ὥρῃ ἔρχεσθαι. ἀλλὰ ἀνώμαλα γίνεσθαι.

Status demum *Inconſtantes*, & *Subitaneæ mutationes*, ſunt Morbidæ; propter *Cœli Varietatem*; quò fit ut *Autumnus plures opprimat*: *Tempeſtates enim optimæ, æquales ſunt*, inquit [e] *Celſus* poſt *Hippocratem*, *ſive Calidæ, ſive Frigidæ*; *peſſimæ quæ maximè variant.* Quin & Aëris Conſtitutio ἀσύμφωνος, *Ptolemæo* eſt φθαρτική. *Tetrab.* 1. 20.

Frigida anni Temperies, tàm humida quàm ſicca, non eſt *Naturaliter*, & *per ſe peſtilentialis*, ſed tantùm per *accidens*: quatenus Corporum jam malè affectorum *Putridus Calor* intenditur ab *Externo Frigore*; quo Pori conſtipantur, & Humorum intercutum motus impeditur; unde fit ut Vaſa Corporum fiant turgida, Sanguíſque calidior & tenuior; quòd à Centro ad Circumferentiam ægrè diffundi poſſit.

[a] *Problem.* ſect. 1. Paragr. 2, 3. ἡ δ' ὑγίεια ἰσότης.
[b] *Ariſt.* ib. Paragr. 1. ἢ ὅτι ὑπερβολὴν ἢ ἔλλειψιν ποιοῦσι· τοῦτο δ' ἦν ἡ νόσος.
[c] *Hippocr.* Aphor. ſect. 3. Aph. 1. de Humor. ſect. 7, 8.
[d] De Humor. ſect. 7. Epidem. 2. ſect. 1. & Foëſ. ib. pag. 997. De Aër. ſect. 25.
[e] 1. 3. & 2. 1.

[a] *Humida Tempeſtas*, modò *aſſidua* ſit; calorèſque majores accedant; eſt *naturaliter*, & per ſe peſtilentialis. Sic [b] *Carbunculi Cranône Theſſaliæ* æſtate graſſabantur; cum ſub magnis æſtibus, affatim & continenter pluebat.

[a] Hippoc. Sect. 3. Aphor. 15, 16.

[b] Hippoc. Epidem. lib. 2. Sect. 1.

Calor Intenſior, licet non *continuus* & *ſimplex*, ſed per *vices rediens*, eſt *peſtilentialis*; ſive *Humida* ſit Tempeſtas, ſive *Sicca*. Status enim [c] *ἄτακτοι* & *Anomali* ſunt valdè noxii; ob *contrariarum qualitatum Viciſſitudines & pugnam.*

[c] *Hodges de peſte*, p. 37.

Exceſſus autem *Caloris* & *Siccitatis* ſimul, ſunt *maximè peſtiferi*; ob *Venenatam* eorum *qualitatem*, quæ potiſſimùm conſiſtit in *Spiritu Calido & Sicco*; nam *Frigida* quæ vocant Venena, *Spiritu Calido* gaudent; & Veneni *Humor* eſt *quid* illi *accidentale*, & *Vehiculum* potius quàm *Pars*. *Nulli enim fermè Piſces* (ut nec Herbæ Aquaticæ) *ſunt Venenati*, inquit [d] *Rondeletius*; niſi limoſi & amphibii; *propter humiditatem, quæ Venenum cujus Vis in Siccitate eſt, diluit*: Et *Serpentum Genera maximè Peſtifera, maximè æſtuoſis locis gignuntur.*

[d] De Piſcibus.

Veneni autem *Siccum* & *Calidum*, eſt quid *Spiritibus Animalibus maximè contrarium*; quos cum ſint *puræ, lucidæque* Naturæ, *Venenum* quidem *craſſius*, & *frigidius* quaſi *Fuligine* obruit, ut fit in Apoplexiis: *Subtilius* autem & *Calidius*, Vi ſuâ *diſſonâ* & *diſproportionatâ* repellit, & diſſipat; quo modo Ignis Culinaris Flamma diſpar & debilior, à majori Radiorum Solarium Vi repellitur & extinguitur.

Nec diſſimili prorſus modo *Peſtis* generatur, operatúrque; Tempeſtatibus enim impenſius *calidis ſiccíſque* præcipuè erumpit, & graſſatur: & aut *caligine Aëris æſtuoſa*, ſuffocat & obruit; aut *Sereni Aëris caloribus* Subtilioribus, Sulphureíſque, Spiritus Animales diſſipat. Talis Aëris Status Πνιγώδης dicitur [e] *Hippocrati*; qualem ſenſit *Londinum* An. 1665, à *Junii* die quarto ad ſeptimum; & eſt maximè Peſtilentialis; præcipuè cum Cælum eſt nubiloſum, & minax, nec tamen Imbres decidunt, ob reſiſtentiam cauſarum quæ ſicci-

[e] Epidem. 3 Sect. 3. vide Foeſium in Πνῖγος.

ſiccitatem producunt ; quâ contrariarum qualitatum oppoſitione & Luctâ Spiritus & Humores mirè exagitantur, fitque Conſtitutio Aëris Naturali Sanguinis, Spiritúumque κρᾶσει inimica ; qui continuam ſiccitatem & calores non patiuntur, ſed irrorari gaudent.

Cum enim Vita conſiſtat in Calido [a] & Humido *Moderato* ; proculdubio illæ Aëris, Cœliq; Conſtitutiones, in quibus qualitates iſtæ ſunt *immoderatæ*, vitæ contrariæ ſunt & inimicæ ; necnon & illi forſan Lucis, Radiorúmque ictus & verbera, quæ Spiritus (cognatæ cum Luce Naturæ) diſpari conjectu laceſſunt, aut motu nimis violento diſtrahunt & diſſipant : Unde Mors ſequitur, conſumptis aut extinctis *Spiritibus*, à quibus Vita, Sanguiniſque Motus. Certè fatetur vel ipſe [b] Keplerus *Dies crebris Aſpectibus infeſtos ; morbos ciere in Subjectis idoneis, & jam ægrotantibus difficiliores eſſe ; & in Morbis Epidemicis plures tempore validiorum Aſpectuum decumbere & mori. Immò* (quod ſuo loco erat monendum) *totum Criſium negotium, rem cumprimis miram & obſervatione dignam, à Lunæ reditu & configuratione cum Planetis dependere* aſſerit, *fruſtráque alibi quæri* Stimuli enim Aſtrorum, fortes præſertim, & inuſitati, efficaciter Naturam Sublunarem excitant, & impetunt.

[a] *Ariſtot. de Generat. Animal.* 4. 10. καὶ γὰρ θερμότητες καὶ ψύξεις μέχρι συμμετρίας τινός ποιοῦσι τὰς γενέσεις· μετά δὲ ταῦτα, τὰς φθορὰς. Vide *Ariſtot. de Longævit.* & *Brevit. Vitæ*, & de *Senectute.*

[b] De Fundam. Aſtrol. Certior. Theſ. 67. Harmonic. p. 168. Introduct. in Ephem. An. 1617. cap. 3.

Cum Doctrinâ autem ſuperiùs tradita conſentiunt omnium Gentium *Annales* ; qui notârunt (utinam religioſiùs) *Morbos Epidemicos* graſſari ſub iſtiuſmodi Conſtitutionibus. Sic [c] *Hippocrates* notat alicubi *Peſtem* eſſe Νόσημα ὡραῖον Morbum *Æſtivum* nimirum & *Autumnalem* ; *Febreſque ardentes* maximè fieri ἐν τῇσι θερμῇσι. *Perinthi* multos *Febribus Epidemicis* laborâſſe narrat, poſt *Ver* & *Æſtatem* valdè ſiccam : & poſt Frigidam *Hyemis*, *Veris* & *Æſtatis* Con-

[c] Epidem. 2. Sect. 1, 3. & lib. 1. Sect. 3 pag. 950.

Conſtitutionem, cum *ſiccitate* conjunctam; Caloribus cum *Sirio* tandem ortis, nec pluviâ interim cadente; *Autumnus* erat valdè lethalis; & frequentes in *Thaſo Febres* accendebantur. Immò *Peſtilentialem* Annum,[a] qui *Pluvius* eſſet; præceſſerant *Siccitates* juſtò majores; & *Autumnus* licet *pluvius*, erat *obſcurus* tamen & *nebuloſus*; quod *caloris* indicium; & *Æſtas* erat *calida*, καὶ πνίγεα μεγάλα. [b] Annus quoque 1665. apud nos *Londinenſes* proximè peſtilentialis, erat maximam partem *ſiccus* & *nebuloſus*: & *Æſtatem calidam* & *ſiccam*, *præceſſerat Bruma intempeſtivè rigens*, & *Ver præcox.* Nec diſſimilis erat Κατάστασις λοιμώδης Peſtis quæ ab An. 1635. ad 1637. totum *Belgium*, maximámque *Germaniæ* partem peragravit; quam deſcripſit Medicus peritiſſimus accuratiſſimúſque, *Diemmerbrochius* in luculento Tractatu *de Peſte:* quo agnoſcit *Jovem Martémque* concurriſſe 27 *Sept.* An. 1635. & *Martem Saturno* junctum fuiſſe *Oct.* 20. ſequentis Anni; eóque Tempore Peſtem aliis in locis ſæviiſſe; licet *Noviomagi*, fomite jam deficiente, in declinatione eſſet.

[a] Epidem. 3. ſect. 3. p. 1081.

[b] *Hodges de Peſte. Sydenham de Morb. Epidem.*

III.

Conſtitutio Aëris Epidemica & Λοιμώδης; ſit maximè ab Aſpectibus ſive Habitudinibus Trium Superiorum Planetarum inter ſe; *& etiam cum* Inferioribus; *in* Signis Æſtivis, *&* Calidioribus; *præcipue* Tropicis *&* Æquinoctialibus: *& à* Tarditate, *Statione, & Retrogradatione Planetarum*; *modò* debitè diſtribuantur, immediato Ordine *incedant, nec* Hiatu *nimis amplo à ſeinvicem. disjungantur. Sub ipſum enim Aſpectuum iſtorum Punctum, Peſtes ſuam* ἀκμὴν *attingunt; iſtis conditionibus poſitis erumpunt; & redeuntibus redeunt.*

Per Aſpectus Conjunctiones, & Oppoſitiones *præcipuè intelligimus: quibus* & Quadrati, *præſertim Superiorum Planetarum, ſunt accenſendi; qui hac in re non levis ſunt momenti. Nec* Partiles *tantum, ſed* & Pláticos Aſpectus *hic intelligimus; nam Planetæ, quòd ſæpè jam monuimus, ad magnam diſtantiam operantur, præſertim Superiores; quod ſub* Aſpectus *nomine veniat, necne, non multum intereſt.*

Nec refert utrum in eodem Signo concurrant, aut oppoſitis opponantur Planetæ; modò ſint intra Sphæram Activitatis ſuæ, quam ad Triginta graduum diſtantiam protendere non veriti ſumus. Vid. ſuprà pag. 29. Aphor. 9. & pag. 62, 64.

Et hinc eſt quod ſub Saturno & Jove, *Peſtes erumpant ſæpè, dum ſint in Signis præcedentibus, vel ſubſequentibus Partilem eorum Conjunctionem.*

ISte Aphoriſmus, quo nihil verius unquam è Tripode erat prolatum, eſt diligentiſſimè conſiderandus: cum innitatur multiplici Obſervationi è *Peſtium Hiſtoriis*, & *Mortualibus Regeſtis* petitæ.

Tropicorum autem *Æquinoctiorúmque* tanta eſt in Morbis Vis; ut Medicus ſagax obſervaverit, paucos *Apoplexiâ Sideratos* fuiſſe; niſi Planetâ aliquo exiſtente in *Signo Cardinali*, ipſo decubitûs tempore.

Nec Peſtes tantum producit talis Cœli Conſtitutio, ſed & Cometas, Terræ-motus, Inundationes, Tempeſtates graviores & id genus reliqua: quæ utut aliter inter ſe diſſideant, cauſis tamen & origine conjunguntur.

Ut autem hujus Aphoriſmi Veritas clarius pateat, rem totam in partes deducere conabor,

(1°.) Tem-

(1°.) Tempeſtatum Morbidarum Vis augetur ab Aſpectibus *Solis* & [a] *Martis*, & à Conjunctionibus *Martis* & *Veneris*, præſertim ſi repetantur bis aut ter ejuſdem Anni ſpatio: & [b] *Mercurius* interim non longè à *Marte* diſtet. *Quammaximè autem eſt notandum, quòd Peſte, aut Morbo aliquo Epidemico ſæviente, creſcere ſoleat Vis ejus, aliquando etiam in Hybernis menſibus, ſub repetitis præcipuè, hujus Aſpectûs vicibus.* Sæviente enim apud nos *Peſte*, Anno 1665. crevit defunctorum numerus *Julii* 17. ad *Mille* Funera ob hunc Aſpectum; & *Auguſti* 29. ad *ſex Millia* ob *iteratum* eorum concurſum.

[a] τὴν ὁμοίαν (Marti) ἔχοντα φύσιν---ποιοῦντα τὴν διάστασιν φθαρτικὴν, καὶ ἀσύμφωνον. Ptolem. Tetrab. 1. 20. & 2. 9.

[b] Ptolem. 2. 9. νοσημάτων ξηρῶν αἴτιος, καὶ ἀμφημερινῶν ἐπισημασιῶν· καὶ βῆχας, καὶ αἵματος ἀναγωγὰς, καὶ φθίσεις ἀποτελέσει.

(2°.) Aſpectus *Solis* & *Mercurii*; & *Mercurii*, cum *Marte*, Ægrorum corpora commovent & irritant. *Mercurius* etiam vicinitate ſuâ, Vim Peſtilentialem *Martis* & *Veneris* augere videtur.

(3°.) Aſpectus *Saturni* aut *Jovis* cum *Inferioribus*, præſertim circa *Tropicos* & *Æquinoctia*, concurrunt ad producendos, augendóſque Morbos *Epidemicos*. *Saturnus* autem in *Aquario*, oppoſitus Inferioribus Planetis in *Leone* degentibus; eſt Stella nocens. Crebri enim & mortiferi Morbi in *Angliâ*, Anno 1521; Peſtis atrox *Romæ* Menſe *Julii* Anni 1522; & *Novus Morbus Lunenburgenſis*, Menſibus *Junii*, & *Julii* Anni 1580, ab iſto poſitu vires accepêre. Iſtorum autem Morborum, aliorúmque complurium Vim augebant, Aſpectus etiam *Jovis*, cum *Inferioribus*; ut cuilibet Morborum Epidemicorum Hiſtoriam conſulenti liquidò patebit. *Jupiter* enim (ſit licet *Aſtrologis* ἀγαθοποιὸς) conjunctus, aut oppoſitus Inferioribus, præſertim in locis Cœli violentioribus, eſt valdè noxius, & maleficus.

 (4°.) Aſpectus

(4°.) Aſpectus autem mutui *Trium Superiorum* Planetarum ſunt Cauſa præcipua *Morborum Epidemicorum*; quod ſingulos eorum percurrendo oſtendere conabor, manifeſtiora quæque Exempla ob oculos ponens.

♄ ♂

I.

Aſpectus [a] Saturni & Martis *ſunt noxii: ſunt enim malefici, ob hujus nimiam ſiccitatem, illius autem Frigus immodicum.*

[a] Ptolem. Tetrab. 1. 5. & 2. 9.

ANno 1557. *Catarrhus Peſtilentialis per totam Europam. Valleſ.* in *Hippocr. Prognoſt.* pag. 99. *Foreſt. Obſervat.* 9. l. 6. ☍ ♄ ♂ in ♈ ♎. ♂ *Tardus*, & *Retrogradus*; Menſe *Julii* iterum opponuntur in ♉ ♏.

Anno 1566. *Morbus Hungaricus Mundum intrabat. Diemmerbr. de Peſte*, pag. 22. ☌ ♄ ♂ in ♌ in ipſa mediâ æſtate *Jun.* 23.

An. 1570. *Peſtis truculenta totam Italiam invaſit. Kircher.* de *Peſte*. ☌ ♄ ♂ in *Spicâ Virginis* menſe *Julii*. *Iſte autem annus erat nebuloſus & pluvius, cœlo calido humidóque.* Ballon. Epidem.

An. 1577. *Bruno Gallicus*, ſive *nova Moraviæ lues*. Diemmerbr. pag. 22. ☍ ♄ ♂ circa *Tropicos*, *Maii* 28.

An.

An. 1591. *Peſtis & Fames.* Kircher. ☍ ♄ ♂ in ♊ ♐ 23. qui iterum etiam opponebantur in *Signis Tropicis Septembr.* 17.

An. 1607. *Tempeſtas Peſtilentialis Londini*; quin & *Mari* quoque Morbida; prout teſtantur *Nautarum* noſtratium *Diaria* apud *Purchaſium.* ☍ ♄ ♂ menſe *Junii* in *Tropicis.*

An. 1625. *Dira Peſtis Londini* ☍ ♄ ♂ in ♌ ♒.

An. 1636. *Peſtis Londini.* Septimanis iſtis *Septembris* & *Octobris* quibus maximus erat Defunctorum Cenſus; *Mars* & *Saturnus platicè* opponebantur.

An. 1637. *Epidemici Morbi Londini*; *Peſtis Conſtantinopoli Julii* 11. ☍ ♄ ♂ in *Tropicis.* Verſabatur etiam & *Mars, Tardus* plerúmque, per magnam partem *Junii* & *Auguſti*, & toto menſe *Julio*, in locis haud multùm à *Tropicâ* altitudine diſtantibus.

An. 1640. *Peſtis Londini. Septembri* cum Peſtis maximè graſſabatur, *Saturnus* & *Mars* conjungebantur in *Aquario.* Menſibúſque præcedentibus, *Mars Tardum Saturni motum* æmulabatur.

An. 1661. *Londini Morbida Tempeſtas.* ☍ ♄ ♂ *Jun.* 26. *Marſque tardo motu* means, diu *Saturno* adhæſit.

An. 1665. ☍ ♄ ♂ in Tropic. menſe *Julii*, cenſum auxit.

II.

♃ ♂

Nec minus noxii ſunt Aſpectus Jovis & Martis ; *quantúmcunque celebris fuerit* [a] Jupiter *apud* Aſtrologos *ob Sanitatem, & Aëris* εὐκρασίαν.

[a] Ptolem. Tetrab. 1. 5. & 2. 9.

ANn. 1528. *Morbus ſudorificus in Angliâ.* Jupiter & Mars ex utróque latere Solſtitii Æſtivi, poſitu minaci & morbifico.

An. 1569. *Peſtilentia Londini.* ☍ ♃ ♂ ☉ in Tropic. & □ ♄ ♃ ♂.

An. 1576. *Dira Peſtis Venetiis & Patavii, à Menſe Maio ad Januarium. Foreſtus.* ♄ ♂ in Tropic. ♑. ♂ *Saturno* Tardior: mox ſuccedit ☍ ♃ ♂.

An. 1580. *Morbus Epidemicus ex Catarrho præcipiti in Pectus delabente, pervaſit totam Europam. Calviſius ex Chytræo. Siciliam* invaſit Menſe *Julio*, poſt iteratam oppoſitionem *Jovis* & *Mercurii*: qui cum eſt *Retrogradus*, & *Tardus*, majores *Martis* Vires æmulatur. Sequentibus menſibus latè graſſabatur, *Sole* & *Mercurio Tropicum Æſtivum* occupantibus, *Venere* in *Leone* exiſtente: *Jove* & *Marte* ad Oppoſitionem nitentibus. Menſe *Auguſti Venetias* & *Conſtantinopolin* invaſit, & per maximam *Europæ* partem uſque ad *Decembrem* graſſabatur: propter *iteratas* & *repetitas Oppoſitiones Jovis & Martis*; qui tardo & Retrogrado motu means, per totos ipſos menſes *Jovis* Oppoſitione hoſtili irritabatur. Nihil hoc Exemplo illuſtrius.

An. 1607.

An. 1607. *Peſtis Londini.* Menſibus Septembris, & Octobris Morbi *ἀκμὴ*, propter *Oppoſitionem Jovis* & *Martis* in Signis Æquinoctialibus.

An. 1625. *Peſtis ἀκμὴ Londini,* menſe *Auguſti*; quando Jupiter & Mars modico tantùm intervallo à ſeinvicem diſtabant in Signis Æquinoctialibus. Exemplum *luciferum.*

An 1646. *Peſtis Londini.* ☌ ♄ ♂ menſe *Junii.* Sequentibus Menſibus *Jupiter* & *Mars*, quà *Tardo* motu, quà *Retrogrado*, intrà Vis Hoſtilis terminos fuêre.

III.

♄ ♃

Aſpectus mutui Supremorum *Planetarum, ſunt maximè malefici, & noxii : eorúmque Conjunctiones & Oppoſitiones ſunt valdè peſtilentiales ; præſertim cum ab Aſpectu aliquo complicato* Martis *afficiantur.*

AN. 1603. *peſtis Londini.* ☌ ♄ ♃ in ♐ 10. circa Natalem Domini ; per aliquot autem Menſes præcedentes, erant intra limites Vis Hoſtilis.

An. 1623. *Dira lues Londini.* ☌ ♄ ♃ in ♌.

Nè nimius eſſem, plura Exempla hic non ſuggero ; reliqua peti poſſint, ex libro ejuſdem Argumenti, Anglicano Sermone conſcripto , cui Titulus *Aſtro-Meteorologica.*

Aſpectus autem Supremorum Planetarum, ideò videntur eſſe maximè noxii ; quòd à ſeinvicem ægrè disjungantur ; ſed quà Tardo, quà Retrogrado motu, ſæpè congrediantur, ſibi-

ſibique occurrant; & per aliquot Annorum Spatium intrà *Activitatis ſuæ Sphæram* permaneant: ita ut *Civitates majores* per *quatuor* pæne *annos* non ſint à Peſte *prorſus* immunes.

Quo diuturno temporis ſpatio, vis eorum unita ſæpius Aëri impreſſa, Statum ejus naturalem pervertit, eúmque [a] νοσεροῖσι μιάσμασιν inficit; & repetitis, crebriſque impreſſionibus Spiritus, ſanguinémque ultrà modum commovent, & irritant; adeó ut Corpora noſtra non minus puteſcant, quàm Caro diu Aëri Calido expoſita putris fiat, & fætida.

[a] Hippoc. de Flatib. pag. 297.

IV.

Quando Jupiter *&* Mars, *ab utróque* Æquinoctiali Puncto, *velut in* Æquilibrio *ſunt poſiti; & nunc paulatim ab illis recedant, mox verò accedant; reliquis interim Planetis Signa Æſtiva debitè occupantibus; tunc* (*niſi* Deus Moderator *Cœlorum omen avertat, quod peccatis noſtris obſtantibus, raro fit*) Dira Peſtis *meritò eſt exſpectanda. Duobus enim* Superiorum, Horizontem *in* Æquinoctialibus *Punctis utrinque quaſi obſidentibus, claudentibúſque; totius Hemiſphærii Calor irritatur, & continetur; totúſque interceptus* Semicirculus *immodicè fervet.*

HUjus Rei Teſtimonium evidentiſſimum præbet Annus 1625; cùm ſub iſtiuſmodi poſitu, moriebantur *Londini* pluſquàm quinquaginta quatuor Hominum Millia.

Diſcite Juſtitiam moniti ——:

V.

V.

Quilibet ferè Viceſimus [a] Annus *apud nos eſt valdè noxius, ſi non peſtilentialis ;propter* Conjunctionem Saturni & Jovis. *Et quilibet ferè* Decimus Annus, *eſt Morbis Malignis obnoxius, aut Cometis, & Terræ Motibus, hîc aut apud exteras gentes ; propter* Oppoſitionem *eorundem Planetarum. Plerique demum* Anni Morbis inuſitatioribus *ſcatent* , & *frequenter* Malignis , & Epidemicis ; *propter* Conjunctiones & Oppoſitiones Martis *cum Superioribus Planetis.*

[a] Hodges de Peſte pag. 3. Sydenham de Morbis Epidem. pag. 90.

SIquis Peſtium, Morborúmque Epidemicorum Hiſtorias diligenter conſideraverit, hujus Aphoriſmi veritatem facillime perſpiciet ; interim conſulat Lector *Johannis Goad Aſtro-Meteorologica* ; lib. 3. cap. 3. ſub. ſin.

VI.

Morbi Epidemici, Peſtéſque, non ſemper ſub iſtis Aſpectibus erumpunt, nedum ſæviunt, aut graſſantur ; vel quia Malignitas eorum reprimitur Frigore Hyemis, aut mitiori Statu Tempeſtatis, in quam incidunt : aut ob Hiatum *ampliorem inter reliquos Planetas, defectúmque* debitæ *eorum* Diſtributionis ; *quæ eſt frequentiſſima* Cauſa immediata, *quâ* Divina Bonitas (*rebus ab æterno ſapienter præviſis, ordinatíſque*) *horum Aſpectuum Malitiam coercere ſoleat.*

Immodicus enim Calor, unde Peſtium Venenum, iſtiuſmodi Circumſtantiis quæ [b] *Frigus augent, reprimitur.*

[b] Vid. Suprà Aph. 13.

NOnnullas Regiones Peſtem non ſentire tradunt ; alias autem ſæpiſſimè, ob nimios calores, & putridas exhalationes; has Magiſtratuum Medicorúmque Cura, aut Soli indoles

T

doles περιφυλακτικὴ; illas Venti Salutares continuò perflantes à Peſte immunes præſtitêre, aut liberarunt; ut *Eteſiæ* [a], *Cayrum Ægyptiorum.* Peſtis enim non inficit, nedum ſerpit, niſi ſit debita Veneni mora; non minus quam apta Corporum Diſpoſitio, & qualitatis contagioſæ certa pars & portio, debitáque applicatio. Præter autem Modos *Naturales* jam recenſitos; alii quoque ſunt *extraordinarii* aut *ſupernaturales*, quibus Peſtem Mortalium capitibus imminentem propulſat Miſericors Deus; quod *Piis Philoſophis* conſiderandum relinquo; præſertim Nobiliſſimo *Boylio* Philoſophiæ apud nos *Statori*; & *Dei*, non minus quam *Naturæ conſiliorum participi*; quem vide in Tractatu de *Naturæ Notione hactenus receptâ.* Totam autem Doctrinam hactenus traditam, manifeſtiorem reddere conabimur, uno aut altero Exemplo, petito ex Gentis noſtræ Annalibus; & *Mortualibus Regeſtis* Civitatis Londinenſis, à *Johanne Bell*, haud ita pridem editis.

[a] *Proſper. Alpin. de Medic. Ægypt. Boyle de Salubr. & Inſalubr. Aëris.*

Anno 1608. Menſe *Maii*, *Sex* Peſtis interemit, poſt conjunctionem Saturni & Martis; *Saturno* tunc *Retrogrado*, & *Marte Tardiſſimo* exiſtente.

Menſe *Junii* creſcit defunctorum numerus, Tropico *Cancri* jam occupato à *Mercurio* & *Sole*, quibus ſuperioris Menſis *Hiatus* ſuppletur; *Saturno*, Retrogrado motu adverſum *Capricorni* Signum peragrante; & *Marte Stationario*, *Aquarium* tenente; quo pacto non tantum *Taurus*, *Gemini*, & *Cancer* recto & immediato ordine occupantur, ſed & *Leonis* Signum proximè ſuccedens obliquo *Martis* intuitu afficitur; quod non levis, ut ſuperius diximus, eſt momenti.

Julio plures intereunt, non obſtante *Hiatu* in *Geminis*; *Sole*, *Mercurio*, & *Venere*, jam opponentibus *Saturnum Retrogradum*

trogradum, *Martémque Stationarium.* *Saturno* exiſtente circa *Capricorni* gradus valde noxios.

Auguſto etiam creſcit cenſus. ♃ ♄ ☿ ℞. ♂ St. *Sol*, *Venus* & *Mercurius* *Leonem* tranſeuntes, afficiebantur oppoſitis hoſtilibúſque *Martis* Radiis.

Septembri maximus erat defunctorum numerus; ♄ ♂ ☿ Trrdiſſimis, ♃ ℞ & ☉ ♀ in Equinoctio exiſtentibus. Toto autem *Octobri* cenſus non multùm decrevit, ob ☍ ♃ ☉ ♀ ☿.

Novembri etiam ſævit Peſtis, tribus Planetis Exiſtentibus in *Sagittario*; & *Mercurio* die 23 Tropicum *Capriconi* occupante; *Saturno* interim exiſtente circa ultimos ejus gradus, eóſque noxios. ♄ ♃ ♂ ☿ erant Tardi, ♃ ℞ ♂ & ☿ ad Retrogrationem tendebant.

Decembri quoque Peſtis non penitus reſedit; *Marte Æquinoctium* tenente, & *Mercurio* cirea *Tropicum Retrogrado.*

Notandum autem eſt 1. Ordinem Signorum hoc Anno ſæpè interruptum fuiſſe; unde Peſtis vires ſunt imminutæ. 2. Hebdomade ultimâ *Septembris*, à die nimirum 22, ad diem 29, Luna tranſiens ab Æſtivo Tropico ad Æquinoctium, opponebatur infauſtis Radiis *Saturni* & *Martis*; quod non minima cauſa cur Cenſus tantoperè excreverit.

Anno 1625.

Talis erat Cæli Σχηματισμὸς, *& ſic per ſingulos Menſes ſe habuit maximus* Libitinæ Cenſus.

							Peſte interemptorum numerus.
Jan. 24.	♒ 14. ☉.	♓ 1. ☿	♓ 16. ♀	♍ 0. ♄	♎ 0. ♃	♐ 14. ♂	
Feb. 23.	♑ 4. ♂	♌ 27. ♄	♓ 8. ☿	♓ 13. ☉	♍ 27. ♃	♈ 21. ♀	
Mart. 24.	♑ 24. ♂	♌ 25. ♄	♍ 23. ♃	♓ 17. ☿	♈ 13. ☉	♉ 25. ♀	
April 23.	♉ 11. ☿	♉ 12. ☉	♊ 27. ♀	♌ 25. ♄	♒ 14. ♂	♍ 21. ♃	25.
Maii 24.	♊ 12. ☉	♋ 4. ☿	♋ 22. ♀	♌ 26. ♄	♍ 21. ♃	♓ 3. ♂	71.
Jun. 23.	♋ 5. ☿	♋ 11. ☉	♋ 27. ♀	♌ 28. ♄	♍ 23. ♃	♓ 20. ♂	239.
Julii 24.	♋ 13. ♀	♋ 25. ☿	♌ 10. ☉	♍ 2. ♄	♍ 28. ♃	♈ 0. ♂	1819.
Aug. 24.	♋ 26. ♀	♍ 6. ♄	♍ 10. ☉	♍ 21. ☿	♓ 29. ♂	♎ 4. ♃	4218.
Sept. 23.	♌ 24. ♀	♍ 10. ♄	♓ 21. ♂	♎ 9. ☉	♎ 10. ♃	♏ 4. ☿	1551.
Oct. 24.	♍ 13. ♄.	♍ 28. ♀.	♓ 22. ♂	♎ 17. ♃	♎ 28. ☿	♏ 10. ☉.	131.
Nov. 23.	♍ 15. ♄	♎ 23. ♃	♈ 2. ♂	♏ 4. ♀	♏ 29. ☿	♐ 11. ☉	27.
Dec. 24.	♍ 15. ♄.	♎ 27. ♃	♈ 18. ♂	♐ 12. ♀	♑ 12. ☉	♑ 22. ☿	1.

Menſe

Menſe *Januarii* erupit Peſtis ; *Februario quinque* intermit ; tribus Superioribus tria Signa Æſtiva & noxia occupantibus : Marte Cancrum *Oppoſitis* Radiis tenente ; *Saturno Leonem*, & *Jove Virginem* occupante.

Menſe *Martio* ♂ ℞. in loco noxio ; ♄ St. ♃ ℞. ☿ & ♀ Tardi. ♄ in *Leone* degit Signo furente, ♃ in Signo immediatè ſuccedente eóque Æſtivo ; & ☿ per Oppoſitionem Radios Medios inter utrúmque jaculatur ; unde iſtius Menſis intempeſtivus Calor & Siccitas.

Aprili quidem eſt *Hiatus* in *Cancro* & *Mercurius* eſt velox : *Saturni* tamen Statio, & *Jovis Martiſque* Tarditas calores augent.

Menſe *Maio* Ordo Planetarum eſt continuus, nec interruptus ; *Venus* & *Mercurius Cancrum* occupant ; Oppoſitio *Saturni* & *Martis* nuper elapſa ; & *Mars* opponit gradus medios inter *Saturnum* & *Jovem*. Tres *Superiores* ſunt Tardi, *Mercurius* non admodum velox, *Venus* quammaximè tardigrada ; & *Gemini*, *Cancer*, *Leo*, & *Virgo*, quatuor Signa principalia & maximæ virtutis jam occupantur.

Menſe *Junio* Sol *Tropicum* occupat ; *Mercurius* diu in *Cancro* hæret ; nunc Stans, nunc Tardiſſimè means, nunc Retrogradatione idem ſpatium remetiens : *Venus* interim Stationaria ultimam *Cancri* Decadem tenet, dum *Mercurius* verſus Tropicum recedens *Solis* calores auget. Ordo Planetarum eſt continuus, *Jupiter* non procul ab *Æquinoctio* verſatur ; *Marſque* ad ejus Oppoſitionem tendit.

Menſe *Julio*, Ordo Planetarum eſt continuus, ſpatium inter *Tropicum Cancri*, & *Æquinoctium Autumnale* complectens, cui *Mars* opponitur. Duo Planetæ *Cancrum* obtinent,

obtinent, bini itidem *Virginem*, dum *Sol* ardentem *Leonem* occupat. Hoc igitur Menſe crevit *Libitinæ Cenſus* ad Funera pluſquam duo Millia; Peſte auctâ oppoſitis *Jovis*, *Martiſque* Radiis.

Menſe *Auguſti*, *Jupiter* Æquinoctium *Libræ* occupat; *Marte* interim oppoſitum *Arietis* tenente, & inter *Punctum Æquinoctiale* fluctuante. Reliqui Planetæ *Æſtiva Signa* tenent; *Venus* admodùm *Tarda* in *Cancro* hæret; quem per quinque plus minus Menſes occupaverat. Ordo *Planetarum continuus*; *Sol* & *Mercurius Leonem* tenent uſque ad *fatalem Hebdomadem*; quâ ob cauſas modò recenſitas, crevit Cenſus ad *pluſquam quatuor Millia* Funerum.

Menſe *Septembri*, Peſtis, licet mitius, graſſabatur; Cauſis Cœleſtibus non eundem quidem uſquequàque poſitum ſervantibus; *Sole* tamen & *Mercurio*, à conjunctis *Jovis*, oppoſitiſque *Martis* Aſpectibus irritatis; unde non minima Morbi Vis.

Poſtmodum, *Sole Declinante*, *reliquiſque Planetis Æſtiva Signa deſerentibus*, Deo miſerante, decrevit Peſtis.

Annus 1665.

ΚΑΤΑ΄ΣΤΑΣΙΣ ΛΟΙΜΩ΄ΔΗΣ *Londini*.

PEſtem hanc ſtrictim, & breviter attingemus; quod ex antedictis ratio ejus peti poſſit.

Menſibus *Maii*, *Junii*, & *Julii*, erat *Tropica Oppoſitio Saturni*, *Veneris*, & *Mercurii*, quæ *Statione* & *Retrogradatione* diù duravit, & *repetitis vicibus* celebrabatur. Sub *Medium Julii* erat *Oppoſitio Saturni* & *Martis*, & excrevit Cenſus ad *mille* Funera.

Funera. *Marte* poſtmodùm ad Oppoſitionem cum *Jove* tendente, hebdomadatim crevit defunctorum numerus; *ipſóque Tempore quo partiliter opponebantur, Effectu Cauſam monſtrante, Peſtis ad ἀκμὴν pervenit:* & poſterâ Hebdomade, aliquot pæne millibus decrevit Cenſus; *quòd Aſpectus in Receſſu poſt congreſſum ſit debilior, quàm in Acceſſu. Marte* tandem *Leonis* Signum calidum, furénſque deferente: & longiùs à *Jove* disjuncto, Dei miſericordiâ, contabuit Peſtis.

VII.

Obſervavit [a] Ptolemæus, *quædam* Zodiaci Loca, *eſſe φθαρτικὰ* & *λοιμικὰ*, quod etiam Recentiorum Experientia confirmat; idque præcipuè forſan, quòd ſint *Calida*: nam quæ *Frigida* ſunt; non per ſe, ſed Calidi mixturâ contrariâ; Noxia fieri videntur. [a] Tetrab. 2. 12.

PAtet *Peſtem* præcipuè graſſari in Menſibus *calidioribus*; Planetis poſitis, in *Cancro*, *Leone*, *Virgine*, & *Librâ*, quæ eſt *Ariete* magis noxia; forſan, ut monuimus, propter Crebriores Stellas.

Rarò erumpit Peſtis *Sole* poſito in *Ariete*, aut *Tauro*, niſi per accidens: & Virus ejus decreſcere ſolet, cum Sol *Scorpium*, aut *Sagittarium* ingreditur.

Non autem omnes Conſtitutiones Aëris *intenſius Calidæ*, ſunt *peſtiferæ* & *noxiæ*: ſed illæ maxime in quibus eſt quaſi Pugna & Lucta inter *Crudas* ſive *Frigidas*, & *Calidiores* Aëris particulas; ab Aſtris *Calidis*, *Frigidiſque* in Aërem evectas: quorum *Frigus* (ſi Aſtrologica [b] *Firmici* Philoſophia ſit admittenda) *fomento alieni ardoris incaleſcit.* Sed utcunque demum hoc fuerit; conſtat Aſtra non ejuſdem eſſe naturæ; ſive denominationes diverſas ſortiantur, non ab *innato Frigore*, ſed à remiſſioribus, intenſioribúſve *Caloris* gradibus; aut (quod putat, *Medicus* Doctus, & ſæpè laudatus) à [b] l. 2.

Calidis

Calidis Frigidiſque quas evehunt particulis; diverſos enim Planetas diverſas particulas attrahere, non minus improbabile eſt; quam Plantas, Herbáſque, Succos adeò diverſos: niſi tandem dicamus,(quod non prorſus impoſſibile eſt) Aſtra diverſi generis Effluvia emittere; Frigida & Calida, Venenata, non minus quam Salutaria.

Gradus Zodiaci Φθαρτικοὶ, *ſive* Λοιμικοί.

♈	♎	
0	0	PRopter *Æquinoctium* eſt calidus; præcipuè in *Librâ*.
	4	Culminat *Coma Berenices*: Naturæ ☽ ♀.
	10	Tres in *Helice*, & *Virgine* culminant.
	19	*Calores. Spica Virginis* culminat; & duæ Stellæ ſecundæ Magnitudinis, una in *Helice*, altera in *Centauro*.
	25	Calidus, & Fulgurat. Opponit *Nodum*, Naturæ ♃ ☿.
	22, ad fin.	Nebuloſi, & noxii præcipuè ob oppoſitum *Nodum*.
♉	♏	
	0, ad 2.	Ejuſdem pænè naturæ cum fine *Libræ*.
	7, ad 13.	Nebuloſi, pluvii cum nebulâ.
10		Opponit *Lancem Auſtralem*, ſecundæ Magnitudinis: Naturæ ♃ ☿. Eſt autem Stella *ancipitis naturæ*: nam cum opponitur, nunc Frigus & Serenitatem inducit, nunc Fulmen cum Grandine, ex qua contrarietate, ut monuimus, oritur præcipuè Aëris Venenum.
	20, ad 22.	*gradus ſicci, crudi, & noxii.*
	23, ad fin.	*Sicci, & noxii, propter Pleiadas. Scorpium Venenatum* eſſe dicunt *Aſtrologi*: quem Sydus acre & frigidum eſſe cognovimus,

♊	♐	vimus ; & Aërem jam calefactum mixturâ contrariæ qualitatis inficere.
	0, ad 3.	*Calor inæqualis.* Opponunt *Hyadas*, & nonnullas in *Perſeo* : & duæ Stellæ in grad. 2, 3. verſantur juxta *Cor Scorpii*, naturæ ♂ ♃, quæ cum ſint contrariæ naturæ ; *συγκεράσει*, noxios edunt effectus.
	4	*Cor Scorpii* eſt Stella Cruda ; *pruinoſa* Hyeme, Æſtate autem *ſicca*, *nebuloſa*, faciens *Vredinem :* Antiquis eſt Peſtilentialis, nec immerito ; ejuſque naturæ accedunt *Perſeus* & *Aldebaran.*
	5, ad 15.	*Sscci & noxii.* Cum gradibus iſtis ex *parte Geminorum* culminant crebræ Stellæ : quæ ob numerum & verticitatem in *Geminis* ſunt noxiæ ; & ob oppoſitionem,in *Sagittario.*
15	16.	*Calor, & ſiccitas.* Multæ hic in *Geminis*, *Ophiucho* oppoſitæ ; *Rigel*, *Capella*, aliæque Stellæ hic *culminant.*
17	18.	*Valdè calidi & pluvioſi gradus* ; qui noxii fiunt, cùm eorum Humiditas, à contrariis cauſis cohibeatur.
	19, ad fin.	*Maximam partem ſicci & calidi* ; propter crebras Stellas cum gradibus iſtis conjunctas, eiſque oppoſitas.
♋	♑	Tropicus uterque tàm *Hyemalis* , quàm *Æſtivus*, *Hippocrati* eſt noxius.
	1, ad 13.	*Sicci maximam partem* , & *calore accedente, noxii.* Sunt enim quamplurimæ è Stellis quæ in iſtis gradibus ponuntur, naturæ ♄ ♃ ; quorum Frigus,præſertim cum à Calore irritatur eſt noxium.

♋	♑	Cum *Septimo* gradu culminat *Sirius*, Stella ardens & noxia.
	9, 10, 11.	*Nebuloſi & calidi.*
	12, ad 18.	*Calores, & Humiditas benigna*; at Humore coercito, *Aër* πνιγώδης & *noxius*. Gradus octavus jacet inter *Caſtorem* & *Pollucem* culminantes.
	à 23, ad 28.	Calidi & maximè noxii, qui in *Cancro.*
♌	♒	
	0, ad 12.	Iſti *Leonis* gradus noxii propter *Præſepe*, *Aſellos*, & *Sirium*. *Nebuloſæ* in *Fronte* Aſteriſmi *Capricorni* ſunt valdè noxiæ.
	à 17, ad fin.	*Leo noxiis caloribus* æſtuat. Vide ſupra, pag. 100.
♍	♓	
	à 0, ad 3.	*Gradus calidi*; & in *Piſcibus nebuloſi.*
	11, ad 13.	Συςροφὴ nebuloſa in *Aquario*, eſt noxia. Summatim; quicquid eſt Aſteriſmi *Leonis*, eſt noxium.

Experientiâ conſtat quoſdam ex iſtis Gradibus eſſe noxios; Conjecturis autem noſtris quibus malitiæ eorum rationem reddimus, utatur Lector; donec meliora ſe offerant.

VIII.

Quin & Lunæ, Peſte graſſante, Vis non exigua eſt.

CAve tibi, inquit [a] *Heurnius*, doctus & ſagax Medicus; *circa Plenilunium & Novilunium; tunc enim Aëreum Venenum movetur violentius: cave tibi cum ſingulis Menſibus,* Luna *venit in eum locum Cæli, in quo erat* Saturnus

[a] De Peſte.

Saturnus *cum naſcereris ; idem de* Marte *dictum puta, quod tamen vix milleſimus obſervat.*

Humores enim Corporis, à Lunâ potiſſimùm gubernantur ; & ſæviente Peſte, ejus motum maximopere obſervant ; ſi enim creſcat Cenſus illâ in tali Signo exiſtente ; latius graſſabitur cum ad Oppoſitum Signum pervenerit. *Circa Novil. et Plenilunium pestis plerumque ferocior est, sec. observ. Carl. in Hist. med. p. 1. c. 19. p. 86.*

De COMETIS.

I.

Cometæ, Terræ-motus, Fulmina graviora, Inundationes, & Tempeſtates violentiores, ab eiſdem cum Peſte, cauſis Cœleſtibus dependent. Quod autem cauſis iſtis poſitis, iſti omnes Effectus ſimul non ſequantur, aut non eiſdem in locis, ſed aliqui tantum hic loci, alii alibi; aliquando & nulli; in causâ eſt Defectus debitæ Materiæ, aliarúmve circumſtantiarum quæ ad Effectum producendum requiruntur.

* Ptolem. *Centiloq. Aphor.* 1.

Et quanquam non negaverim, * Particularium *iſtiuſmodi Effectuum præcognitionem, eſſe valdè difficilem: certiſſimum tamen eſt, Cometas, ex Trium Superiorum concurſu prædici poſſe; modò non nudi eorum Aſpectus attendantur; ſed Ordo, & Poſitio; & habitudines reſpectu Inferiorum.*

HUjus Aphoriſmi Veritati Teſtimonium perhibent omnium Gentium Hiſtoriæ; & ipſa Ratio probat. Terræ enim quæ Fulmini ſunt obnoxiæ, crebrius tremunt; ob copiam Sulphuris: eiſdem Cauſis Cœleſtibus irritantibus Subterraneos Ignes, &c. Sulphur in Aërem evectum, accendentibus. Quibuſdam quoque [a] Annis ſimul Cometæ ardent, & Terræ quatiuntur: [b] aliis, Faces è Cœlo minantur, & exundant Flumina; unde & Cometæ iſtiuſmodi Effectus præſagire putantur. Et poſt *magnos Terrarum Motus Peſtilentiam fieri, propter multa mortifera quæ in alto latent*; fatentur communiter poſt [c] *Senecam, Philoſophi:* & teſtatur experientia. Quod autem erumpat nonnunquam Flamma Terrâ non

[a] 1506, 1516, 1519. [b] 1530.

[c] *Senec.* Nat. quæſt. 6. 27. *Plin.* Nat. Hiſt. 2. 79, ad 86.

non tremente, in cauſâ eſt Materiæ ritè diſpoſitæ inopia; & Terræ ſæpe abſque Ignibus quatiuntur, quia non datur Via quà erumpant: nec ex quibuſvis Effluviis continuò Cometam generari obſervavit *Hevelius*, eò quod non ſemper ſufficiens ſuppeditatur Materia.

II.

Convenit ferè inter Peritiores, Cometas eſſe Effluvia Corporum Cæleſtium; Erraticarum nimirum, Fixarúmque Stellarum; quæ pro diverſâ ſua naturâ, Effluvia diverſi generis exſpirare creduntur.

Vide Hevelii Cometographiam.

III.

*Cometæ debent Natales ſuos & Incrementa, Planetarum, præſertim Superiorum, Aſpectibus; & eorum * Numero, Ordini, Staticni, Retrogradationi & Poſitioni, in Cæli locis Stellis calidioribus & crebrioribus refertis; non enim nudi Aſpectus uſquequaque in hac Doctrinâ ſunt ſpectandi, ſed reliquarum etiam cauſarum Concurſus, ut ſæpè monuimus.* * Vid. ſup. Aph. 13. pag. 12.

Doctrina hæc eſt magnæ Vetuſtatis; quam à *Chaldæis* ſe accepiſſe teſtatur *Epigenes*; *gravis auctor inprimis*, judice *Plinio* [a]; quos [b] narrat docuiſſe *Cometas accendi turbine quodam Aëris à Planetis, precipuè Saturno, concitati & contorti.* Tempore etenim *Magnarum Conjunctionum, facilius citiuſque*, imo *utplurimum Cometas procreari*, fatetur [c] *Hevelius*; & Vir doctus *Cornelius Gemma* [d], multiplici obſervatione

[a] Nat. H. 7. 56.
[b] Sen. Nat. Q. 7. 3, 4.
[c] Comet. p. 426, 716.
[d] Coſmocrit. c. 1. 6.

ſervatione deprehendit, *Cometas potiſſimùm oriri Planetis Superioribus concurrentibus circa Viam Lacteam* (quod etiam de *Stellis Novis* agnoſcit [a] *Hevelius*) *vel etiam in Calidioribus Cæli locis, præſertim ſub Tropicos, aut Æquinoctia.* Quod notatu digniſſimum; experientiâ enim conſtat Cometas frequenter ibi generari; & ſæpius circa [b] *Autumnale Æquinoctium*, quam *Vernum*, forſan propter crebriores ſtellas ibi poſitas. *Stellæ* enim *Fixæ*, non minùs quam *Planetæ*, *Cometis* pabulum adminiſtrant; eóſque calore ſuo accendunt; & plurimùm conducunt ad retinendam, continuandámque virtutem à Planetis impreſſam, quorum vi irritantur. Hinc eſt quod *Novæ Stellæ* non appareant in *locis Fixarum Vacuis*, & *Cometæ* frequenter generentur, inter *Fixas potentiores, numeroſioréſque*; circa *Pleiadas* nimirum, *Leonem*, & *Virginem*, ad *pedes Urſæ Majoris*; & frequenter admodum in *Geminis*, & oppoſito *Sagittarii* ſigno. Cometas autem Planetis, Fixiſque Stellis Originem ſuam debere, ſequentibus rationibus ſuaderi poſſit; quœ probè ſunt conſiderandæ quia permagni ſunt úſûs in hac Doctrinâ. 1. Quia *Cometæ* oriuntur potiſſimùm Tempore *Conjunctionum Magnarum*; & ſæpè ipſo die in quem incidunt Planetarum Aſpectus; nec *communiter generantur, niſi cum Tres Planetæ aut Plures, ſimul concurrant in eodem Signo*; *aut non plus diſtent quàm Signi Spatio.* 2. Quia Planetarum Affectiones obſervant; apparent enim in eorum, *Mercurii* præſertim, *Statu Retrogrado*, aut *Stationario*; & ab *Aſpectu ſæpius iterato majora capiunt incrementa.* 3. *Stella Nova* (ejuſdem cum *Cometis* Naturæ) quæ apparuit Anno 1604; *adita fuit*, ut monet [c] *Keplerus*, *à Planetis omnibus, ipſiſque conjuncta ſaltem Platicè*: quod quî quæſo fieret niſi ut ab illis Vires & Incrementa acciperet? quam ſtellam ex *Arabum* Doctrinâ de magnis Conjunctionibus, à *Mollero & Crabbo longè ante prædictam fuiſſe*, fatetur. 4. Deficiente Aſpectu, deficit quoque & *Cometa*; & expirante penitus evaneſcit. 4. Quia apparent in locis, Planetis

[a] Cometo. pag. 424.

[b] *Fromund. Meteor.* l. 3. cap. 4 art. 6. *Auzout.* in *Philoſ. Tranſ. Ang. Societ.* vol. 1. pag. 19.

[c] *Kepler. de Stellâ Nov. Serpentar.* pag. 130. *Ricciol. Almag.* Tom. 2. pag. 169. Paragr. 7.

tis *directè oppoſitis*. Cometæ enim An. 1528, & 1538. habuerunt *Saturnum* ex *oppoſito*;& qui arſit Anno 1558 *Martem ex adverſo* reſpexit. 6. Quia *Caudas* ſuas non modò in partes *Soli adverſas* projiciunt, ſed in *oppoſitas aliorum Planetarum plagas*; & ut origo eorum penitus monſtretur, in *Caudarum Deviationibus*, exporrigunt ſe verſus inſigniores aliquas è Fixis inter quas naſci ſolent; eorúmque capita, è minutiſſimarum Stellularum congerie conſtare ſæpè aſſerit *Hevelius* [a]. Quod ex Illuſtriſſimi *Lubieniecii Tabulis Cometographicis* conſtare antea monuimus; & ex Obſervationibus Clariſſimi *Caſſini*, cujus *Zodiacus Cometarum*, in [b] *Actis Eruditorum Lipſienſium* conſpici poſſit ex illuſtri Stellarum tractu conſtans.

[a] In Cometograph. p. 328, 338, 341.
[b] Tom. 2. p. 281. & Tom. 1. 288.

IV.

Cometæ ſunt diverſorum generum; vel enim ex Solis Conjunctionibus *Planetarum naſcuntur; vel ex* Solis Oppoſitionibus; *aut ab* utriſque *ſimul. Et ſæpè* apparent in eodem Signo *in quo Planetæ à quibus fiunt verſantur; ſæpè in* Oppoſito: *Planetis* Oppoſitum *Cometam illuſtrantibus, eodem modo quo* Sol, Lunam *ſibi adverſam. Immò & Cometæ ſæpè ſe conſpiciendos exhibent, in Signo Medio inter Planetas quibus originem ſuam debent.*

V.

Ad Cometarum productionem requiritur Plurium *Planetarum Concurſus in* eodem Signo, *aut Signi Spatio, & communiter* Trium: *quod niſi fiat, aut Cometæ non naſcuntur, aut minus diuturni.*

Concurſus autem hic intelligitur *Platicus*, & laxus admodum: nam ſub *Partili* Aſpectu (qui ad generandos

dos Cometas per ſe non ſufficit) nonnunquam exſpirant Cometæ; quod non ſat ſpatii inter Planetas ſuperſit, ut materia debita hinc inde ſuppeditari poſſit.

V I.

Trium Superiorum *Planetarum potiſſima eſt Vis in Cometis procreandis*: *abſque* Inferiorum *tamen debito concurſu non abſolvuntur*: *nec niſi Superiores jungantur in locis Cœli aptis ad materiam Cæleſtem ſuppeditandam*; *circa* Aſteriſmos *nimirum* illuſtriores.

V I I.

Diſtinguendum eſt, (*ſicut probè notavit* Hevelius *in Cometographiâ ſua*) *inter Cometæ* Conceptum, Natales, Adultam Ætatem, & Senectutem: *quibus quilibet Aſpectus qui accidit toto tempore quo conſpicitur Cometa ſuo modo concurrit. Ab unius enim Aſpectûs calore fovetur & præparatur Materia*; *ab altero excluditur*, & *in lucem editur*; *ab his Aſpectibus incrementa capit*; *illis deficientibus*, *decreſcit*; & *deſinentibus*, *penitus evaneſcit.*

V I I I.

Notandum etiam eſt, (1.) *Cometas eſſe frequentiores ſub Conjunctionibus, quàm Oppoſitionibus*: *eóſque qui ex Conjunctionibus oriuntur, eſſe ſæpè debiliores* & *minus diuturnos, iis qui ab Oppoſitionibus generantur.* (2.) *Quatuor Inferiorum Planetarum Aſpectus mutuos*, & *cum Superioribus*; *ad Natales* & *incrementa Cometarum multùm conferre*: *Aſpectus autem mutuos* Superiorum, & *præcipuè Conjunctiones eorum Maximas*, & *Magnas*, *tantæ eſſe Virtutis in Generationibus Cometarum*, *ut rarò iſtas non* Comitentur: *prout ex*

[a] Tabulis

[a] *Tabulis Conjunctionum, & Cometarum inter ſe collatis, clarè patebit.* [a] *Ricciol. Almag.* Tom. 1. p. 673. & Tom. 2. p. 5. *Hevelii Cometogr. ad calcem.*

Obſervandum tamen eſt diligenter: Cometas (quod etiam de Peſtibus, aliiſque Effectibus inſignioribus eſt intelligendum) raró apparere ipſo præciſè Conjunctionis anno, ſed uno aut altero, poſt vel antè Congreſſum: cùm Saturnus, & Jupiter *diſtant dimidii Signi ſpatio, aut nonnihil amplius.*

OPeratur enim Vis Superiorum, ut ſæpè monuimus, ad Signi plus minus diſtantiam. Et cum hac Cautione proculdubio Regula ab *Arabibus* tradita eſt intelligenda; cùm à Tempore, ex quo *Arabum* Schola Aſtrologica floruerit, *Ptolemæi* Τετραβίβλῳ in eorum linguam converſâ; nullus Cometa inciderit in ipſum Conjunctionis Annum: qui tamen vi iſtius Regulæ dicuntur Cometas prædixiſſe.

Doctrinam hanc, non multùm forſan à Veritate abhorrentem, probare & illuſtrare conabimur, exemplis aliquot, ex *Hevelio, Lubieniecio,* & *Ricciolo* potiſſimum depromptis; reliqua Peritiorum diligentiæ relinquentes:

Anno 1532. Sept. 23. St. Nov. *Cometa cæpit videri, qui perduravit uſque ad octavum Decembris.* Hevel. Cometograph. pag. 846. Natales ſuos debuit, *Partili* Conjunctioni *Solis* & *Martis* in *Librâ*, ubi concurrebant ipſiſſimo die quo primò apparuit: quibuſcum etiam *Mercurius Platicè* tunc conjungebatur, qui *Partiliter Marti* uniebatur, diebus antea non multis. Tres autem Planetæ in eodem Signo, Cometæ Generationem permultum promovent. *Venus* interim in ſequentis Signi principio degens *Stationaria*, & *Retrograda*; & *Jupiter* ultimam ejuſdem Signi *Decadem* obtinens, in loco *Pleiadibus* oppoſito; ortui & incremento ejus multum contulit. Nec levis acceſſio fa-

ęta eſt à *Venere*, *Retrogrado* motu concurrente cum *Sole* & *Marte* in *Librâ*; ubi & morabatur uſque ad 25 *Novembris*: quo Menſe duravit etiam *Cometa* Vi Conjunctionis *Solis*, cum *Mercurio* & *Jove*; ſed præcipuè ob iteratos concurſus *Martis* & *Mercurii*, juxta locum *Pleiadibus* oppoſitum, ubi *Jupiter* prius ejus materiam accendiſſet. Evanuit autem circa *octavum Decembris*; *Jove* & *Mercurio* jam promotis, ultrà locum *Hyadibus oppoſitum*; & *Marte* illum mox deſerente. *Fixarum* enim illuſtriorum, & violentiorum loca; quòd Pabulum adminiſtrent *Cometis*; & Vim habeant potentiorem; in hac Doctrinâ ſunt maximi momenti.

[a] Pag. 846. Notavit *Appianus* apud [a] *Hevelium*, qui ſe *Cometæ* hujus curſum ſtudioſiſſime obſervâſſe affirmat; illum primò apparuiſſe in Signo *Virginis*, duabus horis ante Solis ortum; & curſum tetendiſſe per *Libram* ad initium *Scorpionis* non proculà loco *Martis*. Parentis ſui. Et nè ignari eſſemus *Cometas communiter generari ſpatio medio inter Planetas quibus ortum debuerint*; in principio *Virginis* primum luxiſſe fertur; loco æquidiſtante hinc à *Marte* & *Sole*, in *Libra*; inde à *Saturno* in *Cancro* degente; & à Lunâ tunc verſante in gradu ejus viceſimo primo; quam etiam non parum huic rei contuliſſe, non eſt improbabile.

[b] Hevel. pag. 850. Anno [b] 1556. Martii 4. *in oppoſitione Martis conſpici cæpit Cometa in 8. gradu Libræ juxta Alam Virginis.* Hoc exemplum eſt admodum inſigne:

Cometa enim apparuit in *Librâ*, juxta illuſtres Stellas *Æquinoctii Autumnalis*, ubi Cometæ conſpici amant. In *Oppoſitione Martis* videbatur; nam natales ſuos debuit *Oppoſitis* Planetis; hinc *Soli* in *Piſcibus* conſtituto; illinc *Saturno*, *Marti*, *Veneri*, & *Mercurio* in *Ariete* degentibus: ad quos etiam, ut originem ejus agnoſceremus, celerrimo motu contendebat, *quaſi verſus Suſceptores & Parentes ſuos ſeſe recipiens*, inquit *Gemma Coſmocritic.* 2. 1. Exſpiravit autem

autem Aprilis 23; ipſo die quo *Mars* & *Venus* ſigni ſpatio diſtarent; licet *Sol*, *Mars*, & *Mercurius* tunc *partiliter* congrederentur. Unde clarè patet non modo *Martis*, *Veneriſque* vis magna in Cometis generandis; ſed & *Platici* Aſpectûs ſuprà *Partilem* Efficacia.

An. 1558. *Sexto Auguſti Cometa ante mortem* Caroli Quinti, *apparuit veſperi ad Comam Berenices*, Hevel. 853. Cometam hunc rectè referunt *Rockenbachius*, aliique, ad *Oppoſitionem Jovis, cum Marte & Mercurio:* in Signo enim *Leonis* erat accenſus; & apparuit ad *Berenices Comam*, debitâ diſtantiâ inter *Martem*, *Mercurium*, & *Solem*; qui in *Leone* tunc degebat, in *Quadrato Aſpectu* cum *Saturno*, haud longo intervallo à *Pleiadibus* diſtante.

An. 1577. Effulſit Cometa primò in *Peruviâ* à Calendis Novembribus, ſub *partili Conjunctione Jovis & Veneris in Librâ*; quam Parantem agnovit, Caudam ſuam illi obvertendo: quæ [a] protendebatur non exquiſitè in *partem Soli oppoſitam*, ſed etiam in *Venerem*: fatentibus *Tychone*, & *Mæſtlino*. Non autem tantum luminis à *ſolâ Venere* hauſit, ut rectè notavit Nobiliſſimus *Tycho*: ſed à *Jove*, & *Marte* in eodem Signo verſante, qui *propinquitate ſua radios Solis juvant*, uti optimè obſervavit *Fromundus*. Apparuit primò circa initium *Capricorni*, ubi ſitus erat *Saturnus:* tribus Planetis exiſtentibus in *Librâ*: duobus in *Sagittario:* & *Saturno* degente non longè à *Tropico Capricorni*. Radiis *Solis*, *Jovis*, *Martis*, *Veneris*, & *Mercurii platicè* unitis, *crevit* & *adolevit*; & *Stationibus Mercurii* per duos pænè menſes: conſenuit, disjunctione longiori *Martis* à *Venere*; & penitus *exſpiravit cum plus Signi ſpatio diſſiderent*. Plura exempla videri poſſint in Libro Anglicano Sermone conſcripto, cui Titulus *Aſtro-Meteorologica:* nam ipſe probè delaſſatus, oneri jam pæne ſuccumbo.

[a] Hevel. Comet. p. 484. 855. 858.

De TERRÆ-MOTIBUS.

I.

Terras quidem Vi Planetarum, præſertim Trium Superiorum concuti: ab omni retrò memoriâ credidit Antiquitas.

EFfatum *Babyloniorum*, ſive *Chaldæorum*, auro contra charius, conſervavit nobis [a] *Plinius*, in *Hiſtoriâ ſua Naturali*, omnigenæ literaturæ penu: ubi docet nos, quod *Babyloniorum Placita Motus Terræ, Hiatúſque, & cætera omnia, Vi ſiderum exiſtimant fieri, ſed illorum trium, quibus Fulmina aſſignant: fieri autem* (quod Hypotheſin noſtram egregiè confirmat) *Meantium cum* Sole, *aut Congruentium, & maximè circa Quadrata Mundi.* Quibus Placitis volunt, Terræ motus fieri maximè à Tribus Planetis Superioribus: quibus *Fulmina aſſignare Principes Doctrinæ Viros Babylonios & Etruſcos teſtatur ipſe* [b] Plinius: fieri autem ab illis, in *Conjunctionibus cum Sole, reliquiſque Aſpectibus*: maximè autem circa *Tropicos* & *Æquinoctia*, [c] Quadrata Κεντρικὰ; quæ cum ſint Quatuor Cœli Puncta maximè inſignia, non ineptè Quadrata *Mundi* dici poſſint: qua voce, *Cœlum* à *Plinio* notari, norunt omnes.

[a] Lib. 2. 79.

[b] Lib. 2. 20.

[c] *Scalig.* in *Manil.* pag. 174.

Si enim Quadratum *Aſpectum*, cum doctiſſimo *Harduino* intellexiſſet *Plinius*, longè aliter loquutus eſſet.

II.

Cauſas communes habent Terræ-Motus, cum iis quas in Aphoriſmis de Peſte, & Cometis *jam recenſuimus.*

(1.) *Mercurius*

(1.) M*Ercurius* cum *Sole* in Terrâ concutienda *plurimùm* valet; idque ſæpe in diſtantiâ 10 aut 12 graduum. Σεισμοὺς ποιεῖ inquit [a] *Ptolemæus.* Eſt enim Planeta violentus & turbidus, Ignes ſubterraneos potenter excitans & irritans: fortius autem in Statu *Retrogrado*, quàm *Directo*; quòd tunc *Terræ ſit propinquior.*

[a] Tetrab. 2. 9.

Eſt autem, quod ad nauſeam pænè monuimus, Cauſa *Partialis*, non *Totalis*: aliter enim, ſecundo quoque Menſe fieret Terræ-Motus.

An. 1551. *Maii* 25. *Terræ-Motus in Angliâ*: Stowæi Annales. ☌ ☉ ☿ ipſiſſimo Motûs die.

An. 1563. *Terræ-Motus menſe Septembris*: Thuanus, Stowæi Annales. Inter alias cauſas ſocias, ☌ ☉ ☿ in fine Menſis.

An. 1601. *Menſe* Decembris, *vigiliâ Nativitatis Domini*: Stowæi Annales. ☌ ☉ ☿.

(2.) Aliquid confert etiam & Conjunctio *Solis* cum *Venere*: nec nihil, mutui *Mercurii* & *Veneris* Congreſſus; qui plurimum poſſunt accedente *Marte*, nec *Sole* multùm ab illis digreſſo; qui cum *Marte* terras etiam concutit.

(3.) *Saturnus* cum Inferioribus potenter Terras movet.

An. 1509. *Sept.* 14. *Terræ-Motus Conſtantinopoli; qui Octodecim dies duravit.* Lycoſthenes. ♄ ☉ ♀ ☿ circa Æquinoctium. d. 21: Xbris. 1758. erat ☌ ♄ ☉. eo ipso die terrae motus in anglia. (i.e. vim Solstitii.)

An. 1538. *Sept.* 27, 28, 29. *Terræ-Motus Puteolis.* Fromund. *Cardinal*: □ ♄ ♃. ☉ ☿ non procul ab Æquinoctio.

1538. *Jan.* 20. *Terræ-Motus Baſileæ*, Lycoſthen. ♄ *Stationarius* ab unâ parte Æquinoctii Autumnalis: ſub appulſum autem *Lunæ* ad alteram, Civitas tremuit.

An. 1551. *Jan.* 28. *Terræ-Motus Olyſſopponæ*. ♄ ☉ ♀ ☿ in *Aquario* ſimul degentes.

(4.) Nec

(4.) Nec minus Virium habet *Jupiter* cum Inferioribus, ad Terram concutiendam.

An. 1539. *Maii* 11. *Terræ-Motus Baſileæ.* Lycoſthen. ☌ ☿ ♃ in ♊ & □ *Cardinal.* ♄ ♃.

An. 1569. *Maii* 14. *Terræ-Motus Bruxellis.* Gemmæ Coſmocritic. 2. 2. ☍ ♃ ♀ in Tropic. ☌ ♂ ☿. ☉ circa Hyadas. ♄ ℞ circa Æquinoctium Autumnale.

An. 1638. à *Martii* 17, ad 24. *Terræ-Motus in Calabria.* Kyriander. ♃ in ♏ opponit Venerem Stationariam. Per Hebdomadem duravit oppoſitio; quo tempore *Luna* ab omnibusPlanetis afficiebatur,excepto *Saturno.* die 17,18,*Luna* & *Mercurius* opponebantur; *Sol* & *Luna* diebus 19, 20. Jungebatur *Jovi*; & *Veneri* opponebatur, tribus ſequentibus diebus: & ultimo demum die cum *Marte* concurrebat. Erat quoque tunc partilis □ ♄ ♃. & *Luna* in iiſdem locis degebat, quibus verſabatur ultimo Terræ-Motu *Sept.* 16. 1636.

An. 1639. *Terræ-Motus in Italia,* Sept. 23. ☌ ♃ ♀ circa principium *Sagittarii*; *Venere* tunc *Pleiadas,* & *Jove Hyadas* reſpiciente: quem poſitum etiam obtinuit in Terræ-Motu qui incidit *Dec.* 19. An. 1638.

An. 1680. *Eructat Veſuvius Mart.* 23. ♃ ♉ 13. ☽ ♉ 26 circa *Pleiadas,* ♄ in Tropic. ♂ circa Æquinoctiale punctum Arietis; ☉ ☿ in ejuſdem Signi gradibus non longè diſſitis.

An. 1685. *Sept.* 23. *iterum vomuit.* ♃ ♀ ☿ haud procul à ſeinvicem diſtant.

(5.) Quod ſi Superiores cum Inferioribus Terram quatiunt; Vis Mutua Superiorum nullo modo eſt dubitanda; quòd adeò apertè ex Terræ Motuum Hiſtoriis patet, ut non eſt quod Tempus teramus, in hac re ulterius probandá. Sufficiat modò in Doctrinæ hactenus traditæ confirmationem & illuſtrationem ſequentia Corollaria ſubjeciſſe.

(1.) Aſpectus

(1.) Aſpectus *Jovis* cum *Sole*, *Mercurio*, & *Venere*, quamplurimum poſſe in Terrâ concutiendâ.

(2.) *Oppoſitiones* Jovis & Inferiorum, crebrius Terras movere; quam *Conjunctiones*.

(3.) *Platicam* Diſtantiam, præſertim in *Oppoſitionibus*, etiam ad 14 aut plures gradus; eſſe potentiorem *Partili*.

(4.) Oppoſita *Tauri*, & *Scorpionis* Signa, in Terræ-Motibus ſunt valdè notanda, præcipuè propter *Pleiadas*, & *Hyadum* vicinitatem; quæ [a] Terras movent.

Quod velim ut notare non dedignentur, Mathematici *Pariſienſes*; ſi modò verum ſit quod in [b] *Eruditorum ſuorum Diariis* eſt obſervatum, *Urbem* ſuam bis tantum tremuiſſe; *Aprilis* nimirum ſexto An. 1580. & *Maii* 12. St. N. 1682. Priori autem motu, ☉ ☿ conjuncti degebant ſub finem *Arietis*; & *Venus Pleiadas* occupabat: Poſteriori, ☿ in fine *Arietis* verſabatur; *Sole* interim & *Venere* commorantibus juxta *Pleiadas*.

[a] Ptolem. Tetrab. 2. 12.

[b] *Journal de Scavans* Jun. 1. 1682.

De

De Fulmine & Fulgure.

I.

Fulmen rectè ſequitur Terræ-Motum; cùm ex eadem conſtent Materià Terreſtri; eaſdêmque habeant originis è Cœlis Cauſas.

FUlmen ex Sulphure & Nitro conficitur, & particulis Terreſtribus, quæ celeriorem ejus inflammationem paulatim remorentur; eò pænè modo quo Pulvis Pyrius conflatur; quo in ſuum exitium præceps Humanum genus, non *imitabile Fulmen*, auſum eſt æmulari. Loca autem Maritima, & Tremoribus aſſueta; eáque quæ Fodinis, Vitriolo, & talibus Foſſilibus abundant, ſunt Fulmini maximè obnoxia; propter materiam quam ſuppeditant; nam Mare etiam, Nitrum & Sulphur adminiſtrat. Conſulantur autem de iſtis rebus *Rei Meteorologicæ* Scriptores; nos cauſas Cœleſtes breviter percurremus.

(1.) Quilibet [a] Lunaris Aſpectus cum *Sole* ſuam Symbolam confert ad Fulmen producendum.

Oppoſitio autem plus valet *conjunctione*: & *Trinus atque Sextilis Poſterior, Priori.*

[a] *Vid. cap. de Aſpect.* Solis & Lunæ.

(2.) [b] *Mercurius* àutem *cum Sole*, frequentius tonat, & fulgurat quam *Luna*. Vid. *Kepleri* Ephemeridas An. 1622. *April.* 25. An. 1623. *Jan.* 5, 7. *Aug.* 10, 11, 12. An. 1625. *Jul.* 5. *Aug.* 21, 22. An. 1626. *Jun.* 15, 16, 17. *Aug.* 11. An. 1627. *Aug.* 18, 19, 20. An. 1628. *Maii* 1, 3, 4. *Jul.* 4. An. 1629.

[b] Ptolem. 9. 9. καὶ βροντὰς, ἀστραπάς τε, καὶ φλογμοὺς, καὶ χάσματα καὶ σεισμοὺς.

An. 1629. *Jun.* 15. Vide etiam *Tabellam*, in libro Anglicano cui Titulus, *Aſtro-Meteorologica*, pag. 143. & ſupra in Aſpectibus ☉ ☿.

(3.) Aſpectus etiam *Mercurii* & *Lunæ*, Fulmen & Fulgur producunt; reliquis Cauſis ritè diſpoſitis, & concurrentibus.

(4.) *Venus* cum *Sole* tonat; cum *Mercurio* (quod *Albumaſari* rectè notatum) *ſæpè*; cum *Marte ſæpiſſimè*; præcipuè in diſtantiâ *Septem* graduum.

(5.) *Tres Superiores* quammaximè tonare, docuere Antiqui; & nos [a] ſupra notavimus; nec ulterius hic Lectorem detineam, modò ſequentia obſervet:

[a] In cap. de Aſpectibus.

(1.) Tonat apud nos communiter à Menſe *Aprilis*, ad *Octobrem*.

(2.) ☌ ♃ ♀ maximè fulminat; ſi eodem Tempore ſit Aſpectus ♃ ♂. Quod contigit *Sept.* 18. St. Vet. 1591. *Purchaſius* Tom. 4. pag. 1679.

(3.) Fit Fulmen Vis Immanis, ſub Multiplicatis ſive Compoſitis Aſpectibus Superiorum cum Inferioribus; ex diverſâ Radiorum mixturâ; præcipuè ſub concurſu ♃ ♀ ☉ ☿.

(4.) Planetæ in ♑ & ♒ Menſe *Februarii*, Fulminibus conferunt; non minus quam in ♑ & ♌ menſe *Auguſti*.

(5.) Fulmen forſan eſt minus noxium ſub Conjunctionibus, quàm Oppoſitionibus; & ſub ſolitariis Aſpectibus quàm complicatis. Fulmen autem noxium præcipuè producitur à *Saturno* & *Marte*; præſertim cum *Saturnus* & *Mercurius* ſint in æquali diſtantiâ à *Marte*; *hic* ab uno latere, *ille* ab altero.

De Maris, Fluminumque Motibus, & Inundationibus.

I.

Motus Maris Generales & Ordinarii ; Diurnus *nimirum, ab Oriente in Occidentem, intra Tropicos* : Annuus *in Boream aut Auſtrum pro* Solis *Declinatione* : & Motus ἀνθήλιος, *à Tropicis ad uſque utrúmque Polum* ; à Sole potiſſimùm *dependent.*

[a] Tetrrb. l. 2. [a] PTolemæus tribuit *Soli* ϗ ῥύσεις ὑδάτων ; quod optimè, ſiquid video, probat *Voſſius* de *Motu Marium* ; & *Varenius* in *Geographia ſuâ Generali.*

II.

Motus Generalis, qui Æſtus vocatur, ſive Fluxus & Refluxus Marium, Flnminúmquo : à [b] Lunâ potiſſimùm dependet.

[b] *Ptolem.* ibid. LUnæ enim Motum obſervant Æſtus ; intumeſcentes pro acceſſu ejus ad Meridianum, detumeſcentéſque pro ejus receſſu : idque quotidie tardius, prout Luna indies ſerius ad idem Punctum pervenerit. *Creſcunt* quoque Æſtus in *Noviluniis*, & *Pleniluniis*, cum Luna *directis Radiis* Solem aſpiciat ; *decreſcunt* autem in *Quadris*, quando illum *obliquè* intueatur : quæ *caſu tantum fieri*, *abſque ullo Phyſico & naturali nexu*, omninò improbabile eſt ; ut contrà *Voſſi-*

um

um obſervavit acutiſſimus [a] *Walliſius* noſtrâs. Totam autem hanc rem, ego tenuitatis meæ conſcius, *Walliſii*, *Newtoni*, *Flamſtedii*, & *Hallæi* ſagaci Ingenio relinquo; interim rogans, ut iſta benevolè recipiant; nam cum multiplici experientiâ nitantur; in *Hypotheſibus* formandis in conſilium ſunt adhibenda: nè novi Opifices & Ædificatores Mundi, *Hypotheſium* Regno & Licentia ad omnia abuterentur.

[a] Vid. *Philoſ. Tranſ. Societ. Anglic.* tom. 1. num. 16. 34. & *Newtoni Philoſoph. Nat. Princip. Mathemat.*

III.

Intumeſcentiæ Extraordinariæ & Majores, *à non unâ Cæleſti cauſâ dependent.*

1°. Tempore *Æquinoctiorum* maximam eſſe intumeſcentiam, tradidit Antiquitas, & communis teſtatur experientia; & Ratio, quam [b] ſupra attulimus, ſuadere videtur. Vid. *Philoſoph. Tranſact. Societat. Regal. Vol.* 5°. *Num.* 64.

[b] *Aphor.* 13. *Paragr.* 9.

2°. Luna in *Perigæo*, quòd tunc Terræ ſit vicinior, altiùs Aquam attollit, quàm in *Apogæo*: & ferè omnes *Inundationes Prodigioſæ*, fuêre Lunâ in Περιγειότητι exiſtente. Vid. D. *Childrey* in *Philoſophiâ Baconicâ*; & *Philoſoph. Tranſact.* ubi ſuprà.

3°. Æſtus frequentiſſimè augentur appulſu *Lunæ* ad *Mercurium*, aut *Venerem*. Hinc fit ut maxima intumeſcentia, ſit duobus tribúſve diebus ante vel poſt *Lunationem*; pro ratione poſitûs & diſtantiæ *Mercurii* aut *Veneris* à *Sole*. Sic poſt Novilunium Menſe *Auguſti* 1676. Æſtus noctu inſigniter crevit, poſt appulſum *Lunæ* ad *Venerem*.

4°. Aſpectus *Martis* cum *Lunâ* inſigniter Æſtus augent. Obſervavit [a] Vir ſolertiſſimus, & curioſæ felicitatis in Naturâ indagandâ; maximam intumeſcentiam fuiſſe die *altero* ante Conjunctionem *Solis* & *Lunæ* factam die 26 *Maii* 1663. non ob ſolam *Lunæ* Περιγειότητα (ut ille autumat) quæ tribus iſtis diebus erat Communis; ſed ob *Martem* quocum conjungebatur die 24. Quem Effectum *Marte* ſic poſito, non ſemel expertus ſum; & tutò expectare poſſis.

[a] *D. Hook. in Hiſtor. Reg. Societat. Angl.* pag. 179.

V I.

Non Lunæ *tantum*, *ſed quorumlibet Planetarum Aſpectus, conjuncti præſertim, oppoſitique, Aquas attollunt; præcipuè qui longioris aliquantum moræ fuerint: nam cum intumeſcentia fiat,* [b] rarefactione *Aquæ à Luce & Calore profectâ, non minus quam à reſolutâ nive, & imbribus; diuturnior mora agentis eſt efficacior.*

[b] Vide *Voſſium de Motu Marium.*

FErmentatione quadam attolluntur Aquæ; quâ rarefiunt, & intumeſcunt immenſum in modum: unde non eſt dubitandum quin ſatis fuerit Aquæ in Rerum naturâ, ad totum Orbem diluvio obruendum; modò ſupponamus, illas continuiis tot dierum pluviis, & exundante Oceano, Fluminibúſque auctas; intumuiſſe etiam Ventorum agitatione, & Calore Corporum Cœleſtium, à quibus Aquas mirè attolli, Æſtus, præcipuè ſub *Æquinoctiis*, & diræ *Inundationes*, quæ ſimilem ruinam minatæ ſunt, ſatis teſtantur: quod ingenioſiſſimo Auctori *Theoriæ Telluris* conſiderandum relinquo.

(1°.) [c] *Venus* Aquas attollit, maximè in *Elongatione* ſuâ à *Sole*; quæ eſt quædam quaſi Oppoſitio. Notavit *Keplerus* in *Ephemeridibus* ſuis, *Danubii*, aliorumque fluviorum exundationes, è quibus ſequentes huc tranſtulimus, quibus *Venus* contuliſſe videtur.

[c] *Ptolem.* 2. 9.

An. 1622.

An. 1622.	*Febr.* 13.	*Inundatio; Pons ruptus.* ♀ elong. à ☉ grad. 47.
An. 1622.	*Mart.* 17.	*Fluvius crevit.* ♀ grad. 43.
An. 1623.	*Jun.* 11.	*Exundab. Danub. admodum* ♀ gr. 30.
	Dec. 26.	*Auctus Danubius.* ♀ grad. 30.
An. 1624.	*Febr.* 18.	*Auctus Fluvius.* ♀ grad. 47.
An. 1625.	*Jan.* 15.	*Danub. crevit.* ♀ grad. 30.
	Maii 3.	*Aucti annes* ♀ grad. 38.
	Maii 3.	*Auctus Danub.* ♀ grad. 38.
	Aug. 20.	*Danub. Crevit.* ♀ grad. 43.

Venus autem *Soli* juncta, auget aquas, diebus inundationem præcedentibus; gradatim enim nonnunquam Aquæ rarefiunt, Lucis, Caloríſque quaſi Fermentatione quadam; nec in totum pluviis, aut Fontibus ſubterraneis, hoc eſt tribuendum.

(2.) [a] *Mercurius* cum ſit pluvius & ventoſus proculdubio amnes auget. Et conjunctio ☉ ♀ ☿ quamplurimum Aquas attollit.

(3.) [b] Mars cum *Venere* aut *Mercurio* omnes auget; maximè autem cum *Venere*; quòd motum pæne habeant æqualem: quocum etiam Conjuncta plus poteſt, quam cum *Saturno*; quia *Mars* eſt calidior, & vicinior.

[a] Ἐν τοῖς ἀνατολικοῖς αὐξητικός. Ptolem. 2. 9.

[b] *Alkindus, Gaphar; de pluviis imbribus,* &c. Edit. Venet. *An.* 1507. *Arabes, Indique,* apud *Eſcuidum.* τὰ δὲ ὑπὸ βροχῆς. Ptolem. 2. 9.

(4.) Duo [c] *Superiores* licet per ſe ſint Naturæ *Siccioris*; Inferiores tamen, *Martem*, immò & ſeipſos mutuò aſpicientes, modò Inferiores ritè concurrunt; ſunt cauſa validiſſima Inundationum.

[c] Sub *Saturni Dominio* ἰδίως δ᾽ ἐν μὲν θαλάσσῃ γενήσονται ἀποστολαί τῶν ὑδάτων, καὶ πάλιν πλημμύραι· οἱ δὲ ποταμοὶ ὑπέρμετροι γενήσονται τοῖς ὕδασιν. Sub *Jove*; συμμέτρως αὐξήσονται. Ptolem. 2. 9.

(5.) Ap-

(5.) Appulſus Planetarum ad quaſdam è violentioribus Fixarum, amnes augent: *Sirio* enim (immo & *Pleiadibus, Hyadibuſque*) *Maria turgeſcere* non vanè credidit Antiquitas.

Et ſunt quædam partes *Zodiaci*, pluvioſæ admodum & turbidæ; quarum Vis in Inundationibus frequentiſſimè conſpicitur; quales ſunt, *Ultimæ Arietis Partes*; *Primæ Tauri*, & *Ultimæ* à grad. 24. ad finem. *Ultimæ Cancri*, *primæ Leonis* & *Piſcis* ejúſque *Partes Oppoſitæ.*

Æquinoctia etiam, & *Tropici*; præcipuè autem *Gemini* & *Sagittarius*, omnium potentiſſimè aquas attollunt; adeò *ut Planetæ in iſtis Signis poſiti ſint frequentiſſima Cauſa Inundationum.* Nè igitur ſpernantur ſequentia monita; immò Oracula, licet *Caſſandræ* Fato, *non nunquam Credita Teucris*; nam audacter aſſero, (cum ſciam ex hujus Artis principiis Inundationes aliquoties prædictas fuiſſe) conſultiſſimum fore ſi *Lugduni Batavorum hujus Artis Profeſſor conſtituatur, qui iſti negotio perpetuò invigilaret*: neque enim hoc ex *nimio fervore*, aut *confidentiâ* dictum fuit (quod Eruditiſſimi [a] Actorum Editores, in Auctore Operis Aſtro-Meteorologici culpare videntur), ſed ex frequenti uſu & experientiâ; & amore in Gentem illam, quæ tot clades inundationibus perpeſſa, monitum hoc à me extorquere videbatur.

[a] Act. à *Lipſiens*, Tom. 7. pag. 24.

(1.) ☉ ♂ in *Librâ*, ♄ in *Geminis*, & ♀ ☿ in oppoſito *Sagittarii* Signo, Inundationes pariunt.

(2.) Aſpectus ♄ ♂ amnes augent utplurimum in ♈, ♎, ♓, ♍.

(3.) *Pro-*

(3.) *Proſpiciat ſibi Roma cum Planetæ congrediuntur in Librâ; præſertim ſi duo è Superioribus ibi concurrunt.* Tunc enim *Tiberis* inundare ſolet: *& Fluvius iſte auctu ſævus erit, potius, quam religioſus vates, ac monitor*; ut [a] *Plinii* floſculis utar. Quod ob ſimiles cauſas evenit, ut uno exemplo hoc illuſtrem Oct. 8. An. 1530. hor. noct. 11. referente *Mizaldo*, & *Lycoſthene.* [a] Hiſt. 3. 9.

(4.) *Caveat Hollandia, cum Signum Sagittarii occupatur à Pluribus Planetis*; quod fieri ſolet Menſibus *Octobris*, aut *Novembris*, quibus Venti in iſtis Regionibus potiſſimum debacchantur, & crebræ Inundationes fiunt: Præſertim, ſi unus vel duo è *Superioribus* ibi morentur; occupetque unus Principium, alter finem iſtius Signi: & alius Planeta oppoſitum *Geminorum* Signum teneat.

Ann. 1521. Nov. 1. St. Vet. *Feſto omnium Sanctorum*, Zelandi, Hollandi, *&* Brabanti *exundationem atrocem experti ſunt; quâ Circiter 72 Pagi ſunt obruti.* Fromund. Meteorolog. lib. 5. cap. 1. Art. 8. & Stowæi noſtrâtis Annal. *Jupiter & Mars tunc Sagittarium occupabant; hic primam, ille ultimam illius Decadem.* Accuratius autem ad Calculos Aſtronomicos redigantur loca quæ Planetæ tunc obtinuêre, & diligenter obſerventur; nam permagni eſt momenti. Quin & ſub ſimili ſitu iſtorum Planetarum, *Tempeſtas mirabilis cum diluvio contigit in* Languedociâ, An. 1557. *circa* $\frac{10}{20}$ *Sept.* Gemmæ Coſmocrit. lib. 2. 1.

Ann. 1570. *Menſis Novembr. diebus ſecundâ & tertiâ* St. N. *Diluvium oppidò miſerandum in Hollandiâ, Zelandiâ* & *Friſiâ*, Gemmæ Coſmocritic: lib. 2. 2. *Sagittarium iterum ſimili poſitu occupant Mars & Mercurius.*

An. 1686.

An. 1686. Nov. 22. St. N. *Dira Inundatio* Groningæ. ☉ ♃ ☿ in principio ♐. ♄ ♂ in Librâ. Nec diſſimilem ſitum obtinuêre Planetæ, in Inundatione deplorandâ quæ *Hamburgi* contigit Decembr. 7. St. N. 1685. Nam *Saturnus* & *Mars Libram* tenebant; dum *Jupiter*, *Sol*, *Venus*, & *Mercurius*, totum *Sagittarii* Signum occuparent.

Parcat autem mihi, *Populus Belgicus*, Literis Armiſque inclytus; ſi eorum miſertus, in Fata Gentis ſuæ tàm curiosè inquiſiverim: cum hoc non aſtu dolóque fecerim, ſed pietate & amore accenſus; ut præmoniti, ad iſtiuſmodi mala præcavenda, paratiores eſſent.

De

De Ventis, & Tempeſtatibus.

I.

Ventus eſt Aër à Calore Cœleſti impulſus.

PER Aërem autem hic intelligimus, totam illam Miſcellam, ſive colluviem particularum, quæ Atmoſpæram conſtituunt, & Terram circumdant. Et *impelli* illas dicimus, non tantum moveri, aut deſcendere ab altioribus ad decliviora gravitate ſuâ; impelli autem à Calore Cœleſti eo modo putamus, quo Alimenti crudæ particulæ, à Calore Ventriculi & Inteſtinorum agitantur. Nec enim *Ventus*, (obſervante etiam [a] *Tachenio*) *aliter gignitur in Macrocoſmo, quàm in Microcoſmo.*

[a] De Morbo *Principe.*

II.

Sol *non eſt Unica Cauſa Ventorum; ſed reliqui etiam Planetæ, & Stellæ Fixæ, concurrunt ad eorum productionem.*

VEntos [b] *Solis* impulſu agi tradidêre Veteres; & optimè probavêre quidam è Recentioribus: at ab Unius *Solis* Calore, omnes qui uſpiam Terrarum ſunt Venti, produci poſſe, mihi nunquam perſuaderi potuit. Fateor rem hanc adhuc in Naturæ Obſcuritate latere; quam dies forſan in lucem extrahet, & longioris ævi diligentia; ſi & ſuam ultrà adhibere non dedignabitur diligentiſſimus, & acutiſſimus *Hallæus* noſtrâs. Interim, donec Veritas clariùs è

[b] *Seneca, Plinius, Varenius, Voſſius, Hallæus in Philoſophic. Tranſaction. Anglic.* Vol. 16. num. 182. & *Act. Lipſ.* Tom. 6. p. 509.

 Tenebris

Tenebris emergat, fruantur Homines ſequentibus Obſervationibus, non uſquequáque contemnendis.

(1.) In *Zonâ Torridâ*, præcipuè ſub *Æquatore*, Motus Aëris in Mari eſt *Soliſequus*; & continuus *Ventus Orientalis* utplurimùm ſpirat: propter *Solis prædominium.*

(2.) Sub *Elevatione Septentrionali*; Motus Aëris *Naturalis, eſt à Boreâ ad Auſtrum*; Stellis Fixis circa Polum Arcticum Aërem Frigidum propellentibus. *Impulſus* enim Aëris eſt à *Stellarum Fixarum* luce & calore; cùm *Planetæ* eouſque non pertingant. Frigus autem à Poli diſtantiâ à *Solis* Planetarùmque Semitâ; & ab Interſtitiis inter Aſteriſmos, Stellarum Vacuis.

(3.) Reliqui Venti *Cardinales* præter *Aquilonem*, proveniunt à *Planetarum prædominio*; qui cum ſint immediato ordine, validè poſiti, in debitâ diſtantiâ, & ſub circumſtantiis calorem generantibus; vincunt Statum Aëris naturalem, & in noſtro Climate, plerúmque movent *Ventos Calidos*; *Auſtrales* nimirum, aut *Occidentales*: at ſub Frigido Cœli poſitu, redit Status Naturalis, & flat Boreas à Polo Arctico.

(4.) *In obliquâ Spherâ, Sol* non poteſt eſſe *Cauſa adæquata* Ventorum; quia ſunt varii & mutabiles, & ab omni Plagâ ſpirantes, nec tantum ab Orientali, ut in Rectâ Sphærâ.

(5.) *Cauſa adæquata* Varietatis Ventorum in *Sphærâ Obliquâ*; eſt ab Habitudinibus Planetarum Frigidorum, Calidorúmque inter ſe; & cum ejuſdem generis Stellis Fixis; & ex diverſâ Cœli Facie, pro diverſo Horizonte; qui & diverſimode Aërem ſtringit. Sub qualibet enim Poli Elevatione,

tione, aliquantum variat Ventus; uno forſan Plagæ puncto, pro uno Elevationis gradu. Nec eſt quid injucundum, diverſos Aëris Status contemplari ſub *Sphærâ Obliquâ*; quæ eò plures habet Caloris, Frigoriſque viciſſitudines; & acriores Ventos, magiſque varios; prout locus plus, minúſve diſtet à *Terræ meditullio ſub Æquatore*: ubi Venti ſunt plerúmque Orientales, Stati & Conſtantes; Planetis Horizontem non Stringentibus, niſi in Orientali & Occidentali ejus Plagâ; ſecus ac fiat in *Sphærâ Obliquâ*, ubi verſus Auſtralem, Borealémve Horizontis Plagam declinant; quo ſitu Aërem diverſimodè modificant.

(6.) In noſtro *Climate*, ſub *nebuloſo* Aëris Statu ferè flat *Eurus*; ſub *Pluvio*, *Auſter*, aut *Zephyrus*; ſub *Sereno*, *frigidóque*, *Boreas*. Et licet ſit difficile qualitates Ventorum determinare, quæ variæ ſunt pro ratione locorum à quibus Spirant; uſu tamen apud nos compertum eſt, è Ventis *Cardinalibus*, *Meridionales & Occidentales eſſe Calidos*; *Septentrionales*, *Frigidos*; *Orientales*, *Septentrionalibus calidiores*; *Frigidiores autem Occidentalibus*, *Meridionalibúſque*.

(7.) Quando nullus è Planetis, vel tantum *Luna*, *Solis* ortum prægreditur; manè flat ſæpe Frigidus Ventus à Boreali Plaga. Cum Ventus mutatur à calidiori ad Frigidiorem Plagam: tunc aut aliqua è Corporibus Cœleſtibus *Horizontem* ſubeunt; aut fit *Hiatus*, diſceſſu Planetarum à ſeinvicem; *Lunæ* præſertim, aut *Mercurii*; interrupto Ordine & Serie eorum; quo niſi in caſu rarò Ventus in *Boream* mutatur: Cum autem è contrà, fit Mutatio à Frigidâ ad Calidam; aut quædam Aſtra ſuprà *Horizontem* emergunt; aut quæ antea nimio intervallo disjuncta eſſent, intra debitam diſtantiam ſibi invicem accedunt.

(8.) In Tempeſtatibus; quò major eſt Arcus Cœli qui à Planetis afficitur; eò vehementiores Venti excitantur.

(9.) *Sol* aut *Luna* appulſu ad *Æquinoctia*, Ventos in *Orientalem* Plagam determinat: & plurimi Planetæ circa *Tropicos* & *Æquinoctia*; *Eurum* movere ſolent.

(10.) Plures *Oppoſitiones*, calidos Ventos procreant; Occidentales putà & Meridionales: & *Auſter* raro ſpirat, ſub *ſolis Conjunctionibus*, niſi Planetæ valide admodum ponantur; frequentius autem ſub iſto Cœli poſitu *Eurus* flat, ſi modò quinque aut ſex Signa occupentur.

(11.) Aſpectus *Multiplicati*, & *Complicati Inferiorum* Planetarum ſunt vehementes; vehementiores autem, cum *Superiores* accedant. Nulla enim forſan eſt Tempeſtas paulò violentior; ad quam non concurrunt *Superiores* Planetæ: inter quos, *Jovis* Aſpectus multiplicati cum *Inferioribus* ſunt maximè violenti; præcipuè, accedente aliquo Aſpectu *Saturni*, & *Martis*.

(12.) Tempeſtates *diuturnæ*, & *continuæ* per aliquot dierum Spatium; *Superiorum* motui tardo; Platicæ Planetarum Diſtantiæ; & *Inferiorum* Stationi, Tarditati, aut Retrogradationi, potiſſimùm ſunt tribuendæ.

(13.) In Tempeſtatibus ſunt plerùmque; 1°. Congreſſus plurium Planetarum in uno Signo. 2°. Aliqua utplurimum Oppoſitio, Platica nimirum & laxa; aut Planeta Commorans in Oppoſito Hemiſpherio. 3°. Ordo Planetarum *continuus*, præſertim obliquus; & quatuor aut quinque Signa utplurimùm occupata. 4°. *Poſitio Valida*, in locis *Cœli Turbidis*: quæ tantæ ſunt Virtutis, ut nullæ forſan ſint Tem-

peſtates

peſtates paulò vehementiores; in quibus quamplurimi Planetarum, non ſint poſiti in aliquibus iſtorum locorum; quorum ſinguli ſunt magis aut minus turbidi. 5° Duo Planetæ in principio Signi; alter in fine, & alius ſub medium oppoſiti Signi, ſunt admodum vehementes; præſertim in *Geminis*, & oppoſito *Sagittarii* Signo. *Leo* quoque, *Virgo*, & *Libra* ſunt Signa admodum turbulenta; necnon & notiſſimæ Conſtellationes *Pleiadum*, *Hyadúmque*.

Doctrinam hanc, uno aut altero Exemplo illuſtrabimus.

Aug. 19. 1554. *Dira Tempeſtas ob Cauri violentiſſimi ſævitiam procelloſam.* Stadii Tabul. Bergenſ. pag. 203.

Talis erat Cœli Facies

♉ 28 ☽. ♋ 19 ♂ Tard. ♍ 5 ☉ 29 ♀ 29 ☿. ♎ 7 ♃ St.
♓ 27 ♄ ℞.

Hic vides 1° quinque Signa occupata. 2° Plures Planetas in uno Signo; unum in principio, duos circa finem, & alterum in oppoſito *Piſcium* Signo. 3° *Mars* eſt Tardus, *Saturnus* R. 4° ☌ ♀ ☿. & Caurus proritatur à *Jovis* & *Mercurii* cum *Arcturo* copula; cui ſoli Tempeſtatem hanc *Stadius* acceptam refert. 5° Singuli pænè Planetarum ſunt in locis Cœli Turbidis: *Luna* nimirum circa *Pleiadas* verſatur, tendens ad *Hyadas*. *Mars* in loco violento admodum; *Venus* & *Mercurius* juxta Æquinoctium Autumnale, *Saturnum* Retrogradum opponentes; & ad Conjunctionem cum *Jove* Stationario tendentes.

Nov. 12. St. N. 1624. *Violentiſſima Tempeſtas, quâ Comitis Mansfeldii navis periit. Calviſius. Fromund. Meteor. lib.* 2. *cap.* 3. *art.* 13.

♍ 1 ♄. St. 25 ♃ St. ♎ 20 ♂ ♏ 20 ☉ 23 ☿ ℞ ♐ 3 ♀ 10 ☽.

1° Hîc eſt Ordo Planetarum continuus in quatuor Signis. 2° Plures Planetæ in uno Signo; *Saturnus* nimirum in principio *Virginis*, *Jupiter* circa finem; uterque *Stationarius*, & in-

tra

tra Spheram activitatis ſuæ. 3° ☌ ☉ ☿ in ♉ *Pleiadum.* ☿ ℞. 5° ☌ ♀ ☽. in *Sagittario*, & ☌ ☾ ☿ nuper elapſa. 6° Omnes Planetæ in *locis Turbidis.*

An. 1639. *Dec.* 27. St. Vet. *Vehemens Tempeſtas*, & *Ominoſa.* Vide Vitam *Gulielmi Laud*, Archiepiſcopi *Cantuarienſis.*

♏ 20 ♂ ♐ 1 ♀ Tard. 23 ♃ Tard. ♑ 15 ☉ ♒ 2 ☿ 17 ♄.
♊ 13 ☽.

Hic 1° quinque Signa poſſidentur. 2° *Mars* eſt circa *Pleiadas.* 3° duo in *Sagittario*, unus circa principium; alter iſque unus è *Superioribus*, in ultima Signi Decade; & *Luna* in oppoſito *Geminorum* Signo. 4° *Jupiter* & *Sol* circa *Tropicum Hyemalem*, hic ab uno ejus latere; ille ab altero. 5° ♄ ☿ in ♒.

Aug. 30. St. Vet. 1658. *Vehementiſſima Tempeſtas*; paucis diebus antè mortem *Cromwelli*, Angliæ Pſeudo-Protectoris.

♌ 4 ♃. ♍ 16 ☉ 24 ♂ ♎ 4 ☿ 17 ♄. 21 ♀
♒ 19 ☽.

Hic quidem quatuor tantum Signa occupantur; ſed ea continuo ordine, & violenta; omneſque Planetæ ſunt in Locis Turbidis; & Superiores cum Inferioribus implicantur; pluréſque Planetæ unum Signum occupant.

Reliqua quæ ad hanc rem explicandam requiruntur, è primâ hujus Operis parte peti poſſint: neque enim tantum mihi otii eſt, ut actum agam.

FINIS.

ADDENDA, ad Pag. 21.

Grad.		Grad.
1		29
2		28
3		27
4		26
5		25
6		24
7	*Gradus*	23
8	*Antiſcii.*	22
9		21
10		20
11		19
12		18
13		17
14		16
15		15

Pasche de inventis Nov-antiquis. c. 7. §. 17. p. 587. aliquot exempla astrologiae iudiciariae refert. vid. Walch. Lexic. Philos. Tit. Astrologia. ubi quandam Astrologiae speciem non improbare videtur.

A Succinct philosophical Declaration of the Nature of Climacterical years, occasion'd by the Death of Queen Elisabeth. written by Th. Wright. Lond. 1604. in 4to joined to a treatise on the paſsions of the mind. by Th. Wright.